CAROLI FITZGEOFRIDI

AFFANIAE:
sive

EPIGRAMMATVM
Libri tres:

Ejusdem
CENOTAPHIA.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

OXONIÆ,
Excudebat JOSEPHVS BARNESIVS.
1601.

CAROLI
FITZGEOFFRIDI
ARTIANAE:
Sive
EPIGRAMMATVM
Libri tres:
Eiusdem
CENOTAPHIA.
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
OXONIÆ,
Excudebat Josephus Barnesius
1607.

AD EDOARDVM MICHELBORNVM.

CAndidiſſime millium trecentûm
EDOARDE, novem jubar, ſororum
Atq; Apollineæ decus cohortis:
En tuus tibi CAROLVS meuſq;
Immò CAROLVS vtriuſq; noſtrûm,
Trinos hoſce epigrammatum libellos
(Salſos Iuppiter! et lepore trinctos)
Miſit: quos (tibi fortè ſi moleſtum
Non ſit) nunc iterum rogat ſagaci
Perluſtres oculo, et notes lapillo
Albo quæ bona, quæ ſecùs nigello:
Sic quondam CELERI ſuo SECVNDVS
Dedit carmina PLINIVS legenda:
Sic POMPONIVS ipſe factitaſſe
Fertur *Burdigalenſis* et Poeta.
Et factum benè: quippè geſtit ora
(Quod fauſtum ſiet ô Patríma virgo!)
Hinc atq; hinc volitare per virorum.
Namq; hos ingenij perire fœtus
Nefas judicat, aut latere porrò.
Nec minùs fugitat tibi videri
Suffenus, vel ineptus æſtimator
Rerum quas propriâ polivit arte:
Quarè conſilium tuum, tuamq;

Censuram petit, vt probata nobis
Calculus probet et tuus vicissim:
Vnam quippè tuam approbationem
Pluris æstimat ac recenta vulgi
Rudis punctula, quoî placere stultum est.

Tuus
HILARIVS VERVS.

CVM grave judicij mihi defuat acris acumen
(VERE, iuventutis floscule Palladiæ)
Quid tamẽ argutis instas mihi versibus, et me
Iudicis in partes, imperiose rapis?
Ergò MICHELBORNÆ momenta levissima li-
Nimirùm tanti CAROLVS ille facit? (mæ
CAROLVS impositũ Charitũ de nomine nomẽ,
Posteraq; quod scierint secla, quod & celebrent?
Vera quibus censura favet, *Raleag*, parcit
Virgula, quid Vates punctula nostra petit?
Accipite ergò animis (vt fas) quid sentiat æquis
Censorem CARLI quem sibi poscit opus:
Laudo, sed invideo, poterat si tollere livor
Vere, quid inveniat quod reprehendat amor?

Tuus
EDOARDVS MICHELBORNVS.

Censor candide carminum meorum,
O (quod subvereor,) RALÆE, censor
Nimis candide carminum meorum,
En isthoc tibi quicquid est libelli;
Si frontispicium prius vel ora
Vides extima, nec decencioti
Cultum sindone, nec repumicatum
Morsu pumicis expolitiori,
Dein' si pectus & intumas medullas
Indages acie sagaciori,
Non lautum Aonij liquore aceti,
Non Apollinei semel salini
Aspersum sale senties. At illum
Si non sit grave, vel nimis molestum,
Incudi Criticæ sagacitatis
Imponas rogo, tùm deindè crebris
Tundas ictibus ingenî pot entis,
Donec iudicij igne ter recoctus
Fæces exuat, et rudi è metallo
Nitorem Latiæ trahat monetæ.

Tuus
C. F. G.

Ad Lavrentivm Michelbornvm.

I levis, Aonio risum mea Pagina LAVRO,
Si poteris, lepidis falsa moveto locis.
Forsitan argutas nugas, lususq; facetos
Excipiet risu dexteriore tuos.
Forsitan insipidis spinis mereare cachinnos:
Nil moror, vt LAVRVS rideat, ista damus.
Quid reprimis, pudibūda pede, quid, Pagina, palles,
Et comptas metuis sordida adire manus?
Quid si nec facie Veneres, oculisue nitores,
Nec fronte irradiat forma, nec ore decus?
Illius à facie Veneres, oculisq; nitores,
A fronte accipies formam, & ab ore decus.

Ad Lavrentivm Michelbornvm.

LAVRE qui Philomela suaviorum
Argutissimus es melodiarum,
Quid nostræ peragras vireta Musæ,
Tentans tramitis haud invsitati
Orbitam, cupidusq; senticeta
Traviare, subhispida sq; spinas,
Cùm sis flosculus ipse *Gratiarum*,
Et *Phœbi* rosa dia, non recusas?
Ne pergas moneo, nihil videbis
Nostris, præter inania, in hortis;
Nil hîc multicolorum rosarum,

Nil est cernere suavioris herbæ.
Sin quid forsitan hic manu tagaci
Suaviusve meratiusve carpas,
Quod caulas tibi narium sagaces
Deliniret odore non molesto,
Horti non amor est, sed hortulani.

AD GENIVM.

GENI flexanimis, voluptuose,
GENI blandule, mellilinguis, alme,
GENI delicijs amoribusq;
Suavijsq; locisq; risibusq;
Mellitisq; facelijs abundans,
Te nunc te voco te invoco rogoq;
Magni nate Iovis GENI cerebro,
Nec posco Charitesve Apollinesve
Nec Musas Veneresve Gratiasve,
Tu mi insta Charitisq; Apollinisq;
Et Musæ Venerisq; Gratieq;
Vnum te voco te invoco rogoq;
Nunquam vt dêesse velis meis libellis:
Si tu non deeris meis libellis,
Nec dulces Charitesvè Apollinesvè,
Nec Musæ Veneresvè Gratiævè,
Æternùm deerunt meis libellis.
Omnes vnus habes Deos Deasq;
GENI flexanimis voluptuose.

AD CORDVLAM.

SI *Venus* abfuerit, multis Epigrammata ſordent;
Ergò meis aderis CORDVLA ſola Venus.

AD LIBELLVM.

QVis *Genium Venerem*q; tibi neget eſſe, Libelle?
En *Veneré* & *Genium* fróte, Libelle, geris.

LIBELLVS DE SE.

QVùm primùm Lector carmen recitaverit illud,
En Venerem & Genium fronte Libelle geris;
Næ mihi næ dicet, Cùm non ſint corpore toto,
Qui Venerem & Genium fronte Libelle gerat?

LIBELLI PROSOPOPEIA.

NOn ego *Paulinas* audax habitare tabernas,
Nec poſtes titulo grandi onerare morer:
Alta iugis frõdes Iovis explicet arbor in al-
Montibus excelſis vẽtilet illa comas: (tis,
Parva ſed incultos ſerpant viburna per hortos,
Et privâ lateat ſordida ſepe filix;
Sat mihi vel minimis erit antiſtare liguſtris,
Atq; humilem ruſcos inter habere locum:
Non ego *Biſhopij* ſum prælia moleſta ferendo,

Hoc

Hoc durum ſubeat grande volumen onus:
Molliùs in Domini pluteo meliuſq; latebo,
Aut raræ fiam ſarcina priva manus.
Victima ſim blattis potius, tineiſq; puſillis,
Quàm vulgi ſatiem fabula vana famem.
Hæc coram Domino ſimulans, vafer omnia, fingo,
Stat tentare tamen pùblica fata mihi:
Quæ licèt experiar duriſsima, durior eſſe
Nemo foris poterit, quàm fuit ipſe domi.

AD LIBELLVM.

LEctores tibi ſi, Liber, liceret
Formare arbitrio tuo meoq;
Quos velim fugias petaſq;, dicam.
Hos primùm fugias velim Libelle,
Argutos nimiùm nimiſq; doctos,
Indoctos nimiùm nimiſq; aſellos,
Hi nihil ſapiunt, nimis ſed illi:
Nec *Mimum* volo, nec volo *Caſonem*,
Ille ſeria damnat, iſte riſum.
Non *Ariſtophanemue*, *Cherilumue*,
Hic nihil reprehendit, ille totum.
Momum mi fuge diſparemq; *Maecenm*,
Is totum leget, at nihil probabit,
Hic nihil legit, improbatq; totum.
Iam verbis tibi, ſed tribus, viciſsim
Cautus me cupis expedire, quales.

Lectore

Lectores voueam tibi? Audi in aurem;
Ad vnguem ſimiles mei tuiq;.

IN RVGAS ET SVPERCILIA.

TAurinum genus, invenuſta pubes,
Hirtũ atq; horridulũ, aſperumq; vulgus,
Frontis depopulatio ſerenæ,
Muſæ carnificina non ſeveræ,
Vatum peſtis abhominanda Rugæ,
Cum ſupercilijs abite, abite,
Alpes hinc procul horridumue Tauron,
Aut ſaltus Nemees, trucûmuè gentem
(Quorum eſtis ſata frontibus) Leonum:
Non vobis teneræ meæ Papyri
Cucullos aluêre mollicellos,
Sed nec *Cordula* noſtra mollicella.
Delicatula, blandula et tenella,
Meſſem perferat hirtulam comarum,
Spinoſæ timet abnuitq; barbæ
Duris pungier oſculando ſetis;
Genæ planiciem decentioris,
Aut lanuginis haud adultioris
Primum amat mea *Cordulilla* florem,
Quare hinc tetricitas, malæq; Rugæ
Cum Supercilijs abite, abite.

AD EMPTOREM:
Cui bono Libellus.

TV quem sex modò quatuorvè numos
Nugis perdere non piget jocosis,
Has potes tibi comparare chartas:
Rogas, cui fuerint bono, vsuiq;?
Primò fallere tædium theatri,
Dùm Mimos tuba tertia evocabit:
Clamosæ dein otium tabernæ,
Dum lentus nimis Oenopola miti
Bacchum facchare fervidum maritat.
Tum, si quem vt sterilem aridamvè avenam,
Messem inter mediam eruditiorum
Seges deficiat locutionis,
Ne stet Harpocrates tacensvè marmor,
Istas eximat è sinu, simulq;
Legat, sed tacitusvè musitansuè,
Nequa exactior auris acriorvè
Noscat, vt malè proferendo voces
Longas curtet, & extrahat minutas,
Altùm rideat interim, perindè
Ac si perciperet jocos salesq;:
Post hæc omnia, si toga aut cucullus
Algentiue dëest rogus *Tabacho*,
Ex his sassuat astruatq; chartis.
Nil est quod faciant magis venustè,
Nil est quod capiant minùs molestè.

AD OCELLOS CORDVLAE.

SOl gemine, ô, Phæbiq;, quibus par omnis abes-
Ediderat nisi vos dædala Diva pares: (set,
Aversi semper nobis, ad carmina saltèm
Nostra haud aversum vertite vterq; jubar.
Dexter vterq; meæ nunc illucessite Musæ,
Quandoquidem lævi sitis vtriq; mihi.

AD VENEREM ET CVPIDINEM.

IMperiose puer, tuq; ô Dea mater, vtriq;,
Iurata in nostram biga severa necem:
Accipite, eccè, pares diversa tributa Tyranni,
Quæ nocturna frequens, quæq; diurna fero:
Has lachrimas tibi, Cypri, tibi hæc suspiria, Nate,
Æternum vobis defero mancipium.
Tu salso fata rore parens, lachrymisq; marinis
Haud alio satias nectare, cruda, sitim:
Tuq; arcu puer omnipotens paribusq; sagittis,
Languentes potiùs hac aurâ animare faces.
Hoc pro muneribus tantùm precor ipse vicissim,
Munera ne finite (heu!) talia ferre diu.

Amor *Mulciber* est, ego Ætna, edaces
Cyclopum manus inquieta Curæ,
Hæ cordis mihi flammeum metallum
Ardenti cruciatuum in camino
Morsum forcipibus coquunt dolorum,

Incudi

Incudi dein' arduo' miſelli
Indunt pectoris, ægritudinumq́;
Duris malleoliſq́; marculiſq́;
Exercent, tuditant, dolant, laborant,
Pulmones, vice follium reflantes,
Dùm ſuſpiria ventilant anhela,
Vitam ſufficiunt rogis & auras;
Dein' qui liquitur humor ex ocellis
Prunas emeritas propè, & cadentes,
Crebrâ adſpergine recreat fovetq́;.
Et quis tam fatuus, dies Amantis
Vt carbone neget nigro notandos!

DE ME.

(Amores;

VVlgus ait, quòd nemo poteſt benè ſcribere
Ni verè, et ſi non impatienter amet:
Gerræ germanæ! et vani deliria vulgi,
Qui, quæ vana ſolet dicere, vera putat!
Vt benè quis ſcribat, cui nec mẽs nec manus ipſa eſt,
Qui benè nil novit dicere, nil facere!
Talis enim eſt, Veneris cui lábit flamma medullas,
Pectora qui *Cypria* ſaucius igne calet,
Ego ſum, quo nemo magis, vel acerbius ardet,
Quo tamen improbius ſcribere nemo poteſt.

IN MYDAM.

VAne *Myda*, quid veſte caput, crineſq́; tiarâ

Obte-

Obtegis, auritum ne videare pecus?
Nulla ſuperjecto tegitur velamine culpa.
Et ſcelus in latebris emicat omne ſuis.
Naturam obueles velo licèt, vſq; renidet,
Sæpiùs & vitio proditur ipſa ſuo.
Ergo licèt careant aſini tua tempora longis
Auribus, appares moribus eſſe Midas.

IN CRVLLVM.

QVid hoc? ſuperbo totus olim ſplendidus
Bombyce *Crullus*, Attalico cultu nitens,
Multitia ſubitò nobilemq; purpuram,
Acuſq; Phrygiæ texta poſuit ſerica,
Amathyſtinaſq; ſordidâ clamydes ſtolâ
Mutavit, atris involutus veſtibus
Talos ad imos ſummo abuſq; vertice,
Pullâq; ſcapulas obtegit lacernulâ
Advſq; ſuras pendulâ, quid hoc novi?
Emortualem ſcilicet matris diem
Pullatus atritate luget veſtium:
Hoc ille luget? mortuam matrem doler,
Rugoſam, avaram, rancidam, deformem anum?
Dolet hoc nè *Crullo!* at præter illum nemini,
Credo nec illi; quin potius illi dolet
Hoc, quòd ſupeſtiti (nimis ah diu!) patri
Eſſæto, avaro, fœtido ſilicernio,
Natalis ortum adhuc redintegret dies:

Dolet

Dolet hoc nè *Crullo*? maximè, nimis dolet.
Quin huic dolori est vnicum solacium,
Socios doloris plurimos habet sui.

AD AVLVM.

DAs pullas vestes atrataq; palliaplebi,
Conjugis vt doleant tristia fata tuæ:
Nó luget quicũq; novas habet, Aule, lacernas
Iure ego cui vestem non dederas, doleo.

AD CORDVLAM.

NOn me byssina fila præpeditum
Captant auricolorium comarum,
Quamvis haud *Venerem* pigeret vnquam
Nudam retibus implicariin illis:
Non argentea fontis ambulacra,
Quamvis hæc cuperent coempta Tempe
Suis Elysijs Dij rosetis:
Non supercilij minacis arcus,
Ignitæq; pares sagittæ ocelli,
Arcu quamlibet hoc & his sagittis
Pro suis Puer vtitur *Diones*:
Non me lilia, nec rosæ genarum
Gemellivè coralium labelli
Movent, oris eburneivè Elenchi,
Quamuis omnia vel Deam decerent

Vel si quid poterit Deâ esse majus,
Non pectus moror æmulum Dianæ
Papillasvè pares sororianteis,
Quamvis quò inferius trahor vagorq;
Hoc magis moveor magis mororq;
Horum me nihil angit inquietum;
Vnum hoc cor mihi tangit & medullas,
Quòd cùm me omnibus his, Puella, tangas;
Horum tangere nil tamen potis-sim.

IN BALBVM.

IN vates quid *Balbe* malos Epigrammata jactas,
Teq; petis telis nesciusipse tuis!

IN LINVM ASTRLOGVM.

FIlia *Centauri* peperit quam Nympha *Chariclo*,
Pectora vaticino dùm caluere Deo,
Abdita fatorum quoniam secreta retexit,
Ex homine informis facta recessit equa:
At *Linus* inspectis dum prævidet omnia stellis,
Quæ nulli tribuunt fata vìdere viro,
Prædicens quæ non vnquam ventura trahuntur,
Ecce in *Cumæum* vertitur ille pecus.

IN BARDVM.

SCribere te raptim ſemper tua carmina dicis:
Verum eſt; ex alijs omnia, Barde, rapis.

AD CORDVLAM.

ÆThereos *Phaeton* nimium temerarivs arces,
Attento ſoles, lumina bina, tuos:
Major culpa mea eſt; Illi ſol vnicus ardor,
Adfecto ſoles perditus ipſe duos.
Pænaq; par culpæ eſt; vt ego magis improbus auſu
Sic in vindictâ tu mihi dura magis.
Quos ille à calidis radijs conceperat ignes
Lenivit gelidi merſus in amne *Padi*:
At me, ſæua, tuis ardentem ſolibus vris,
Nec patiere tuo mergier indè *Pado*.
Quin ſi quis mihi ſit qui incendia temperet iſta
E lachrymis tantùm fit *Padus* ille meis.

AD HILARIVM VERVM.

VERE non falſo mihi dicte nuper
Nomine, ô cui me *Fidius* ſub annis
Primulis *diuus* ſatis auſpicato
Fædere junxit
Quid quiritatu miſero fatigas
Anxium pectus, per inane ſpargens
Verb

Verba, crudeleis totieſq; Parcas
Nomine dicis?
Quòd ſimul qui ſex hyemes, tot æſtus
Egimus, binas trieteridesq;
Segreges longis malè-fauſtus oris
Hic videt annus.
O mihi tandem ſapiens doloris
Deſinas, tecumq; pij ſodales
ROVSII quorum quotacunq; pridem
Portio vixi.
Nevè ſic vobis abijſſe veſtrum
Sic-vti-ac vobis obijſſet idem
Flete: ſol noctis nebulas repenſat
Fœnore lucis.

AD FRONTEM CORDVLAE.

DIves ebur, nitidæq; argentea lamina frontis,
Ludius exercet quâ ſua tela *Puer*:
Cùm tibi nativi non ſit ſtria tetrica ſulci,
Nulla niſi adſciti muſca ſupercilij,
Lactea at Elyſium diſtinguat ſemita pratum,
Cypridis et *Natis* trita frequente pede,
Vndè tibi hæc tamen intolleranda ſuperbia crevit,
Quâ mihi, quâ votis abnuis omne meis?
Ah! tibi ne demens rugas accerſito, votis
Feſtinant citius, non remorante gradu.
Quàm cuperes olim veras arceſſere, quæ nunc

Accersis fictas, et tua damna probas?
Quàm frustra tunc jurè tuas, jmprovida, cernens
Accitas velles non habuisse priùs?

DE ME ET CORDVLA.

Cor mihi flãma coquit, gelidis, aqua stillat ocellis,
Flammam oculis, gestat *Cordula*, corde gelu.
Discordes inter se, Dj, committite motus,
Concordent aliâ non ratione magis,
Vt siccare meos æstus queat illius imbres,
Et nostra illius solvere flamma gelu.

EGO NIL.

Non ego sũ, nullus sum, nil sum, si modò quid sim
Vmbra ego sum; at cujus scilicet vmbra? *Mei*
Vmbra Mei at quí sim, cùm Me quicquã esse nega
Ejus qui non est vmbra qui esse potest? (rim
Ergò inquis, quidnàm hìc loquitur, quid stat, calet
alget,
Quid lachrymat? nihil hæc omnia, quæso, facit?
Evincis, cogisq; aliquid me jam esse fateri,
En sum aliquid, non sum nil ego, sumq; aliquis.
Sum lingua elinguis, spes expes, res sine rebus,
Cor excors, amens mens, anima exanimis.
Omnia vis verbo? sum verus *Amator*; at illud
Quid sit nemo sciat ni prius ipse siet.

PAlladij latices, & cælo defluus amnis,
Limfaq; quâ *Venerem* credimus esse satam.
En ad vos aditum potior *Venus* iustruit, vndas
Proluat vt vestras lacte decora cutis:
Sternite aquas, plantisq; humiles summittite vultus,
Et libate sacro basia digna pedi.
Quotq; loci genius habet, ancillentur heriles
Ad nutus famulæ *Nàides*, adq; manus.
En vt subsiliunt latices ad labra, ruuntq;
Et dulci cupiunt suaviter ore bibi!
En vt diuino pede pressa superbijt vnda!
Vt didicit fastus, *Nympha*, tumendo tuos!
Vt, cùm se totam penitis immergit iu vndis,
Secum vsq; vt teneat brachia stringit aqua.
Vt tamen exilijt, guttæ nant gemmeæ in ore,
Ac si abitu in Dominæ collachrymentur aquæ.
At vos à Diuâ *Thermæ*, moneo ipse, cavete,
Lumina ne siccent, pectora ne glacient.

THERMIS VALEDICIT.

SEu vos *Virginis* in fide *Patrimæ*,
Seu non degener *Hercules* Tonantis
Pullus vos colit, et tuetur; Vndæ,
Potentes domitare monstra, morbos,
Hydras corporis, artuumq; echidnas,
Longùm viuite, et vltimum valete:
Frustrà vos ego longa per viarum

Et moleſta petivi ineptus: heu nil
A vobis remedij mihi, nec auræ
Tantillum huic jecori ſalubrioris.
Quid vos, quid petij levis peregrè
Quas omnes habui domi? quid ad te
Latex de CRVCE dicte, quid cucurri?
Harum CORDVLA balnearum abundè eſt.
Quid Thermas peto FERVIDAS? meum cor
Lethes fervere cogeret fluenta.
Quid tecum mihi, quid rei aut negotî
Fons, qui nomine REGIO ſuperbis?
Hoc in corde ſuperbior Tyrannus
Sæuus regnat et imperat *Cupido*.
Quin et ſulphur et æſtuans bitumen
Venis ardet, et excoquit medullas,
Equibus latices feraciores
Percolant oculi, vnde balnearum
Mi ſat è lachrymis: proinde *Thermæ*
Longùm viuite, et vltimùm valete..

FÆMINAE MINIME LEVES.

Quàm levis eſt, quicunq; leves ait eſſe puellas!
Quàm cõſtãs odijs, quàm gravis vna mihi eſt

FORTVNA NON FAEMINA.

Fortunam primus veterum quicunq; puellam
Finxerat,

Finxerat, hic verè finxit, et impoſuit.
Fors venti quacunq; levis mutatur ab aurâ,
Nulla meam mutat ſpiritus aura mei.
Fors homini quãdoq; parens, quãdoq; noverca eſt
Hæc ſemper votis dura nouerca meis.
Inſiſtit fortuna rotæ volucriſq; movetur,
Hæc immota manet, cor meum vbiq; rotat.
Capta oculis Fortuna ſuis et inepta videndi eſt,
Heu! nimia huic acies vrere nata Deos.
Cætera Fortunæ diſpar, par ſcilicet vno eſt,
Illa mihi averſa eſt ſemper, et illa mihi.

AD ME.

QVid eſt CAROLE quòd mori moraris,
Nam quæ particula vnicè vna vitæ,
Quæq; auræ tibi portio ſacratæ,
Spei in ſtipite, vixit et virebat
Illã illa (heu!) precibus tuis noverca
Flammatis dedit vſtulandam ocellis,
Illis omnicremis ſuis Tyrannis,
Quid eſt Carole quod mori moraris?
At quanquam omnicremis ſuis Tyrannis
Vitalem tibi ſtipitem perurat;
Pectoris tamen intumos receſſus
Occludens adamantinis operclis.
Omnes ecce aditus tibi negavit
Tui cæli adyta ad ſacratiora:

Proin' corporis exsoluta vinclis
Exul quò nam animæ vagabit aurâ?
Hinc est CAROLE quod mori moraris.

AD POLYMELLVM de Grundonio.

FOrmarum irrisor *Grundonius* & facierum,
Cui *Cytherea* rea est, *Tyndaris* ipsa rudis:
Quâ fiat ratione silens, *Polymelle*, requiris;
Fac speculum inspiciat desinet esse dicax.

SPECTRVM.

Stupenda monstra! quis mihi malus Dæmon,
Quis ô sinister *Genius* infestus mihi
Oculis tremenda semper obijcit spectra,
Animumq; diris lancinat miraculis?
Quocunq; solitarios fero gressus,
Per ambulacra, prata, ripas fluminis,
Per purpuranteis floridis comis hortos,
Et sive Musas libo, sive Morphea,
Visus obumbrat nubibus meos densis
Informe monstrum, terreat quod Herculem.
Quid sceleris, ô, quid impietatis admisi,
Aut quem Deorum quam Dearum læsimus?
Ioui nec igneis abstuli suos furtim,
Vivâ nec aurâ mortuum adflaui lutum,
Quid ergò dirâ vulturis fero molem,

Quid

Quid immerentem pœna noxij premit?
Quæcunq; pennis aeris vias findunt,
Quæcunq; pinnis æquoris tranant sinus,
Quæcunq; in altis monstra rugiunt sylvis,
Monstri videntur vmbra vel quiddam minus
Collata nostro: Namq; non hominem vultus
Faciesvè brutum, penna nec refert auem,
Piscemvè prodit squama, sed rudis massa
Crudum et videtur carnis informis chaos,
Cui non adhæret insitum caput collo,
Humerisvè collum, sua nec humeris brachia,
Nec vlla tanti genua corporis molem
Pedumq; nulla fulciunt molimina;
Cui si subessent illa quæ polos gestant
Genua pedesq;, ponderi succumberent.
Totus videtur venter, & cibis farctum
Abdomen altè pendulum, lassat solum
Quassatq; terram, atomosq; pulveris lambit,
Onereq; gramen atterit pressum gravi.
Ventris sub imâ parte quâ solum verrit
Quâ saxa conterit arboresq; eradicat,
Immanè-hiulca in ora finditur bina
Disterminata paruulo discrimine,
Quæ morem in Orci dirùm-hiantibus labris,
Erebi cavernis Tænariq; faucibus
Patentiores latius trahunt rictus,
Tenduntq; spacium longius, Intus horridi
Pali rigentes, dentium vices supplent

Pili vel Indis duriores dentibus
Parioq; ſaxo, crederes ſudibus quernas
Haſtas peruſtis; crederes hirtas Apri
Setas Erymanthici, quibus jubæ horreſcunt;
Comas trifaucis crederis furuas canis.
Inamænus atras ſpiritus trahit nubes,
Glomeratq; fumos denſiores nubibus
Stygiæ paludis; Luridoſq; viventis
Eructat vnà ſulphuris globos, loco
Sputi aut ſalivæ, qualibus Siculi flagrant
Rogis camini, qualibus Veſuvius
Campanienſeis ignibus vorat rupes
Rumpitq; ſaxis roborum cacumina
Medijſq; ſpargit in Proſerpinis ſoles:
Monſtri quid hoc ſit quæritis? Naſus Lyti.

IN APIAM.

Nulla *Apia* eſt facies, in pixide perdidit illam.

IN BARDVM.

CAviſti dicens, Edam poſt funera verſus,
Optarem properam ne tibi *Barde* crucem.

DE APOLLINE ET AMORE.

FRatus tenero graviterq; infenſus *AMORI*

Infan-

Infantem dixit CYNTHIVS & puerum:
Risit AMOR; et, Cane senex à tempore Daphnes,
Quot quæso numeras, inquit, Olympiadas?

AD GVLIELMVM RALAEVM ICtum.

HAEC mea cum relegēs juuenilia cogito Musæ
Sollicitat duplex me, GVLIELME, metus:
Nam quoties voces tantum perpendo phrasesq;
Quàm vereor ne sint illa Latina minus:
At cum res ipsas, cum rebus pondero sensus
Quàm vereor ne sint illa Latina nimis.

AD THOMAM OVERBERIVM.

O Ex melle mero, meroq; amore
Iunonisq; liquoribus papillæ
Phæbi nobile dædali repertū,
Confectum digitis novem Dearum,
Cæleste æthereumq; plasma, dic
OVERBERVLE, præpotens medēdi
Patris luscioli *Puelli* ocellis,
Dearumq; tenerrimis medullis,
Oris nectare balsamoq; linguæ:
Quo me respicies, Salus, ocello
Me, cui vapulat æstuante flamma
Pectus vulnere saucium Diones,
Quo refrigerio allevabis ignis

Quo

(Quo mi *Cordula* cor coquit) furores.
Illone peream crematus æstu
Ah planè peream miser, nisi optem
Totus mersus & obrutus perire
Tuæ flumine mulseo camenæ!

AD THOMAM CAMPIANVM, P.

Cordula mi cordi est, *Thoma*, tibi *Mellea* melli,
Inde modi nobis et lachrymæ absq; modo.
Nescio quid mellis tua dat tibi *Mellea*, va-
Hoc scio me excordē *Cordula* nostra facit. (tes

AD LECTORES.

NEmo legat nugas, frōtem nisi porrigat, istas;
Qui non vult frontē, porrigat ille pedē.

IN LYTVM.

VVlgò quòd audit arte *Bacchalaureus*
Superbienteis erigit cristas *Lytus*,
In arte nullâ quamlibet doctus cluat
Bacchâve dignus laureatâ, fumidam
Nisi quod Mephitim sulphureaq; nubila
Tubuli cavata ducta per foramina
Peruviani (quod *Tabacchon* dictitant)
Acomiti hiatu narium patentium

Glo-

Glomerare doctus, pluribus novit modis,
Quàm vel coire *rabula Italus* docet,
Quàm vel cacare *scurra Gallicus* docet.
At qui Tabacci sic amat fumum miser
Vt saniores negligat Musas, dehinc
Hac arte solus vt peritus audiat,
Pro Bacchalaureo Tabacchalaureus.

IN CELEREM TONSOREM.

LAudibus *Albertum* tonsor *Celer* evehit illum
Qui *De secretis* nobile scripsit opus.
Non sic laudabit tonsor, cum noverit ipsum
Et capite & nullos mento habuisse pilos.

DE OTONE.

VIr trium modo litterarum in vnam
Oto contrahitur, sed illa longa est,

IN CINNAM.

TEmpora mutantur, prisci sententia vatis;
Quàm citò mutantur tẽpora quisq; videt.
Tẽporibus petijsti vrbẽ modò, *Cinna* comatis
Temporibus caluis, vix modo *Cinna*, redis.
Nescio tam subita hæc quidnàm mutatio portet,
Hoc scio, mutari tempora, *Cinna*, tibi.

AD

AD AVLVM.

QVid *Aule*, *Gallam* conjugem tuam vocas?
Cuique conjungit potius se, quàm tibi.

AD VELVM CORDVLAE.

BYssus inuida, sericumq; iniquum.
Ates textile, et impium repertum,
Vel ipso horrificum colore, *Velum*,
Quid diam tibi nubilando frontem
(Inuisum scelus) invidere visum est
Et miracula clariora terris,
Et spectacula chariora diuis?
En vt numina læsa conquerantur,
Et tuis onerent probris rapinas!
Phœbus delicias abesse visus,
Et blandas *Zephyrus* quiritat auras:
At ô! mì misero in malum omne nato
Longè iniquius es nocentiusq;:
Dum frontis paradysum amænioris,
Pæstanasq; ferox opes genarum,
(Quas olim procul intuendo longi
Tantillum precij tuli laboris)
Et cælum geminum labellulorum
Non-tua oscula, fur prophane, raptans,
Hæc tegis mihi non tegens ocellos
Illos pectoris hujus & medullæ

Hujus, carnifices truces ocellos,
Illos non tegis, at finis patere,
Nostri in perniciem crucemq; cordis,
Byssus invida sericumq; iniquum.

AD PHYLLIDA.

QVæris cur fugiam tua basia? *Phylli*, fatebor
Tu veniam fasso, si pia, *Phylli* dabis.
Lasci vam video veniens persæpè catellam
Iungentem labris vda labella tuis:
Basia quantumuis vellem tua, *Phylli*, libenter,
At catulæ nollem basia *Phylli* tuæ.

AD EANDEM.

MIraris quorsum tua basia *Phylli* recusem?
Rivalem possum non ego ferre canem.

DE CHARIDEMO.

FOrmosum vicinus equum, satis indole notâ,
Deformem vxorem sed *Charidemus* habet:
Vicini sed semper equum tu callide damnas,
Vxorem laudas sed *Charideme* tuam.
Eugè vafras artes! Vicini emere ipse caballum,
Vendere at vxorem vis *Charideme* tuam.

AD EDOARDVM MYCHELBORNVM.

de Turpilio, En

EN cui rem toties malam, crucemq;
Dignam pro meritis sumus precati,
In rem *Turpilius* malam crucemq;
Nuper incidit, EDOARDE, quæ sit
Crux illa et mala res rogas? Marita est.

AD CORDVLAM.

BAsia bina peto, das basia trina petenti
Cordula, trina peto basia, bina fero: (quinq
Quinq; rogo, das sex, rogo sex, das *Cordula*
Nec mihi quod rogo das, nec (mea vita) negat.
Hem! quæ vafrities animi, vulpesq; puellis!
Subdola quàm varijs pectora fæta dolis!
Nempè vt sæpè roges quoties tam grata rogantur
Dando negare solent, atq; negando dare.

IN OBLYMVM

ABi, recede, fænerator *Oblyme*
Quo dignus es (sed dignus es malâ cruce)
Tecumq; nummis turgidæ crumenulæ,
Abeant, facessant; improbum *Pluti* genus
Pluto cruentet, *Dis*q; ditem laneinet.
Tuosnè demens mutuabor aureos?
Fame peribo sordida priùs miser,
Truciuè collum victimam dabo cruci.
Nolim quid ipse debeam vulgus sciat,

Tu, si qua credis *Universi Neverint.*

IN EVNDEM.

DAndo et credēdo jam factus es, *Ollyme*, dives,
Dum soleas nummos credere, verba dare.
Scilicet haud facilè quisquam mihi dixerit,
Credendo, an soleas dando nocere magis.

AD MAXIMAM.

CVi tu *Maxima* blanda diminuto
Dicta nomine *Maximilla* es, hicte
Majorem, rogo, fecit, an minorem?

IN ORNVM.

TEnē patrē dubium vocat, *Orne*, *Sabellius*? errat?
Namq; procul dubio nullus es *Orne* pater.

AD PLVMEVM FLABELLVM CODVLAE.

RIualis *Zephyri*, dolorq; *Phœbi*,
Illi delicias & huic Amores
Dirâ præripiens palàm rapinâ,
Auras, dum Zephyro suaviores,
Prospectusq; negas *Deo Diei*,
Mollis plumula, pluma mollicella,
Dic rogo mihi et expedi roganti,

Qui nam accedere tam propè ad gemellos
Soles, ſydereos pares ocellos
Audes, qui tamen hoc procul tuendo
Dant totum in cineres cor & fauillas?
Quòd ſi auræ tremulæ vibratione,
Aut ſi talia temperare poſſis
Molli fulgetra ventilatione,
O mî pectoris hæc inæſtuantis
Leni incendia, ventulum ciendo;
At tu quæq; mihi ferox petenti
Diſcis è Dominâ tuâ negare.

IN ATILLAM ANTII VXOREM.

Dùm tuus in flauis meſſem facit *Antius* aruis,
Sementem fieri neſcit, *Atilla*, domi.

Ad LAVRENTIVM MYCHELBORNVM.

VLtra nè LAVRE tendis? ô amor! pergis?
Nec dum grauaris ſubmouere ieiunis
Et qui tot hirtis ſpinulis inhorreſcunt
Pedes tenellos delicatulos hortis.
At ô monemus ſiſte, nec fiet tanti
Amor iſte vilis, impotens voluptatum,
Illum vt coemptum narium velis tanto
Pedumq; damno; iamq; defatigatum
En vmbilicus laſſat, & tamen pergis.

An fallor? an ſuäue blandiens aura
Suffimen halat hortulis odoratum
Decentiorq; pellicit nitor nareis?
Agnoſco ſuaues virginis comas *Daphnes*,
Comas Amomum, Cynnamumq;, Nardumq;,
Caſiam atq; ſtacten, atq; quas Arabs nidus
Gazas recondit vndequaq; ſpirantes.
At vndè noſtris hortulis viret *Daphne*?
Mirabor vndè, LAVRE? ſcilicet ſpirat,
Vbicunq; *Laurus*; non ibi & viret *Daphne*?

De Inauri CORDVLÆ.

AVreus è Dominæ tereti cadit aure lapillus,
At lapis è duro pectore, quandò cadet!

De IOVE & VVLCANO.

MVlciberi audierat vafras cùm *Iupiter* artes,
Talibus increpuit facta pudenda modis:
Ferreus es, ſponſæ qui ferrea vincula nectis,
Cui claudus contra talia verba Deus:
Ferrea cur (inquit) non illi vincula nectam,
Quæ nexuit capiti Cornea vincla meo.

IN CATVM.

QVi *Cate* te dixit *Magnum Iovis incrementum*

Dixiſſet potius, *magnum bovis excrementum.*

AD INVIDVM.

INvide qui toties honchiſſas naribus vncis,
Et caperas frontem ludicra noſtra legens,
Non alios nates, aliam tibi, perdite, frontem
Optarem numquàm, quàm quibus iſta legis.

DE BROMIO.

CÙm ſibi iam ſcalã *Bromius* laqueumq; paratũ,
Atq; hinc carnificem cerneret, indè crucẽ;
Ingemuit, tantumq; oculos ad ſydera tollẽs,
(Arctabant geminas ſtuppea vincla manus)
Vos æterni orbes, & noſtri conſcia furti
Sydera, vos inquam ſydera teſtor, ait;
Non letum leti-uè genus miſerabile, mentem
(Quanquàm etiã hæc poſſint iure gravare,) gra-
Non quòd floridulæ creſcentia fila iuventæ (vãt,
Fila mihi hæc miſero deteriora terant,
Non quòd cognatos, natos, caſcoſq; parentes
Et mihi ſit charum linquere coniugium,
Sed quòd (proh ſuperi!) laqueo gula læſa tenaci
Hauriendo ſemper fiet inepta mero.
Dixit, & arrepto cyatho ſuperaddidit, ô ſi
Hoc pendere foret! vivere quis cuperet?

AD ANTONIVM BO.

OS nasumq; tuum *Phaeton* si fortè videret
Antoni, hunc *Phœbum* crederet, idq; *Padi*.

DE CORDVLA.

Dum citharam mea lux digitis percurrit eburneis
Sollicitatq; leues pollice agente fides,
Vt quamvis tetigit chordam disrumpitur icta,
Nec diæ patitur verbera dura manus.
Immeritis irata facit convicia filis,
Enerueſq; mali damnat iniqua fides:
Vana quid innocuis succenses CORDVLA chordis?
Duritiem incuses (namq; ea causa) tuam.
Nec miror tenues te attactu frangere chordas,
Aspectu frangas cùm mea corda tuo.

DE AELLA.

VT dormituriens lecto se accingit *Aëlla*
Horologa auditur machina, nona sonat:
Postridiè decimam numerans vbi surgere primùm
Cæperat, ô horam, clamat *Aella*, brevem.

DE CLYTO TONSORE.

OCcasionem negligit *Clytus* tonsor

Benefaciendi cæteris, sibi, demens:
In omnibus negotijs amicorum
Suisq; rebus quamlibet benè oblatam
Occasionem negligit *Clytus* tonsor:
In os hiantis ingeratur extentum,
Sinu supinè dormientis hæresçat,
Occasionem negligit *Clytus* tonsor:
Tonstrinâ in ipsâ forfices leves inter
Sellâ et sedentem præterit: rogas quarè
Occasionem negligat *Clytus*? calua est.

IN COSMICVM,
causidicum fœneratorem.

ET causas dicis, ponisq; in fœnore nummos,
Primò homines spolias *Cosmice*, deindè necas.

DE CORDVLA.

DVm venã medico præbet mea Nympha secan-
Exerit et niveum pallida bracheolũ; (dam,
Me, cruor exiliens variatâ adspergine tinxit,
Ora gero rubris vermiculata notis. (sanguen;
Quid facis? ah! ne almum, quod me petit extrahe
Qui me horret, dignus vulneris ille cruor.

DE GVLONO.

Ægro

ÆGrotus medicos adit quiritans
Quòd nihil benè concoquat *Gulonus:*
Hìc, non *Hyppocratas Machaoneſq;*
Sed *Sphynges* rogo et *Oedipos*, quid hoc ſit,
Vt nihil bene concoquat *Gulonus*
Cùm ſic omnia decoquat *Gulonus*.

AD CORDVLAM.

SVm fateor, (quod ſæpè refers, mentumq; ge-
Vrges) ſũ fateor, *Cordula*, penè puer: (naſq;
At mento quàm nulla fides! canentia vidi
Tempora crinitas non habuiſſe genas.
Argumenta viri certiſſima diſcute tandem,
Iures quòd non ſim, *Cordula* pene puer.

IN BARDILIONEM MEDICVM.

NOn tibi, *Bardilio*, *Phebus* pater artis & author,
Non herbis *Phebi* filius ille potens;
Sed *Phebi Diana* ſoror, *Latonia* proles,
Arte feris homines vt ferit illa feras.

DE EODEM.

ÆGer et infernæ propè *Dromo* laburra phaſe
Convaluit medici *Bardilionis* ope. (li
Nec vitæ, Medicus quòd pharmaca nulla
miniſtrat

Causa fuit, quamvis hæc quoq; causa fuit?
Sannia, *Dromonis* coniux, (nam dente dolebat)
Ad sese medicum *Bardiliona* vocat:
Vix bene Bardilion fauces inspexit & ora,
Continuò moritur Sannia, Dromo valet.

AD CANDIDVM DE ORBILIO M.

Mirandũ, & quod non credes mihi, *Candide*, dicã,
Certè ego dicenti vix benè credo mihi.
Vnà quinq; domo correpti febre iacebant,
Filia cum famulo, natus, vterq; parens;
Scilicet è cunctis (audebis credere?) lætho
Dat medicus tantum quatuor *Orbilius*.
Filia prædonem fugit, mirare? priusquàm
Ad limen medicus venerat, interiit.

DE CORDVLA.

Dum super argento frontis, auroq; comarum
Consultum it mea lux veridicum speculũ,
Vafra *Venus* meditata dolos, se callida vitro
Indidit, effigiem suppositq; suam.
Illa quidem fraudis nil conscia, *Iupiter* (inquit)
Quòd facies solito fit mihi fusca magis.

DE BARGVLO.

Mag-

Magnam coronam cùm mulierum cerneret
En nimbus, inquit, fœminarum, *Bargulus*:
Quid (inquij) num fœminas cœlum pluit?
Respondit ille, more iucundus suo,
Non fœminas cœlum, sed infernum pluit.

AD CORDVLAM.
Kalend. Maij.

ECCe dies genialis adest, natalis *Amoris*,
Quâ tenetum enixa est *Cypria* diva *Deum*.
Daulias in ramis, *Narcissus* spirat in hortis,
Collibus & campis *Liber* & alma *Ceres*.
Mixta *Dryas Satyris* & *Hamadryas* addita *Fauno*,
Nais item his, illis blanda *Napea* comes.
Aspice, præsenti gratentur vt omnia Amori,
Sentiscunt reducem bruta elementa Deum.
Sola nihil verni sentiscis, CORDVLA, *Maij*,
Nam tua perpetuus corda *December* habet.

DE LAVRO MEO.

Mutatam in *Laurum* Phœbi ne credite *Daphnē*
In *LAVRVM Phœbus* transijt ipse pater.

AD CORDVLAM.

TE lucem voco, Nympha, meam; tu deniq; cõtrà
Me noctem vocitas, *Cordula* dura, tuam.
Tu verè; nam me premis altâ nocte dolorum,
Falsò ego; namq; à te lux mihi nulla venit:
Quam quoniam prohibes, saltem hoc fac *Cordula*
In mediam lucem nox cadat atra semel. (mirũ

AD HILARIVM VERVM.

HÆc est illa, pio toties cui pectore feci
Vota precesq;, dies.
Quæ mihi jam longum redit expectata per annum,
Quàm veneranda dies!
Non vno gemitu lachrymis orata nec vnis,
Grata, sed vna dies:
Quâ mihi in amplexus datur ô *Verissime* rerum
VERE volare tuos:
Optavi quoties, Veniat cita, Iupiter! albis
Sera recedat equis.
Illa tamen quàm tarda mihi quàm lentaq; luxit,
Quàm properata fugit?
Stare quidem visa est, lento vel serpere gressu,
Dum venit illa mihi.
Ocyor en horis, rapidis velocior Euris,
Non fugit, imò volat.
Dumq; loquor, dumq; amplexor, curtata recessit
Se breviorq; dies.
Dij! quàm momentis speramus gaudia longis

Quàm

Quàm breuibus fruimur?

AD CORDVLAM.

SVaviolum invitæ rapui tibi *Cordula* nuper,
Tu graviter tactum es *Cordula* visa queri.
Si vindicta placet, similitu me adfice damno,
Aut à me raptum surripe suauiolum.

DE THEANTHIA.

ANimam negabit quisquis esse fœminis
Negabit vndas littori, vndis littora,
Hoc vna nobis approbet *Theantia*
Quæ nuper inter osculandum suaviter
Efflavit animam, nec tamen (miraculum!)
Moritur: ab ore quippè postico suo
Cui nemo amatorum lubens daret osculum,
Vocem sonoram prægravi emisit tono.
Animam quis ergò fœminis neget suam,
Qualemq; Samius finxerat philosophus:
Siquidem vt ab ejus evolarat corpore
Nares per ipsas nostra pevetrat protènus.

AD LAIDA.

NVlli Lai negas, nihilo potes esse pudica
Lai minus, nemo te, mea Lai, rogat.

AD

AD CORDVLAM.

TV junctis animis nos vivere *Cordula* suades,
Mallem ego nos junctis vivere corporibus

EPICVRÆVM,

VIvamus eja, et gaudeamus CORDVLA,
Animisq; junctis nos amemus mutuum,
Labijsq; pressis osculemur inuicem:
His absq; sit, nec vita, sed nec gaudium
Sed nec beatitudo, nec fælicitas
In rebus vlla stare humanis potest.
Quid, ô, Sabina ruga rigidam juuerit
Frontem? aut Catoniana quid tetricitas,
Iuvenem aut seniles semper exequi dies?
Nam sivè tristis vixerit siue ebrius
Obolum *Charonti* quisq; debet et dabit.

IN OENOPOLAM.

O Qui turgidulâ natum de vite *Maderum*
Infuso miseræ flumine mergis aquæ?
Sæuior es tristi *Iunone*, nocentior illâ
Quæ rotat axe ferox tela trisulca, manu.

Iupite

Iupiter æthereo si matrem exureret igne,
An natum gelidâ tu jugulabis aquâ.
At tibi dent superi pœnam quam Iupiter illi,
Aut tua quicquid in hunc audet auara manus.

AD INSIGNE SYRENIS.

DVlce malum, pellax crimen, blãdissima Syrẽ,
Quale ego te monstrum prodigiosa putẽ!
Ora quidẽ Syrenis habes, sed pectora *Circes*,
Pocula quæ miscens tam furibunda viris.
Scilicet expertum nisi quis se præstet *Vlyssem*,
Cernis adire viros, cogis abire sues.

AD AVLICVM DE NOVATO.

CVr hæreat semper domi,
In publicum nec prodeat,
Reiq; tractet publicæ
Curam *Nouatus* AVLICE
Quid quæritas? causa est palam,
Regit domi rempublicam.
Suam maritam scilicet,
Quæ sat negotij exhibet:
Regit nè dixi? imò sua
Ipsum regit respublica.

IN MOLINVM.

Nescio

NEscio an ostibi sit, vel frons, oculive, genæve
Hic præter nasum cernо *Molive* nihil.

IN ANTIVM.

Anti, quid *Cranium* pro nummis pignera poscis
A quo pignera habes quot malè gratus habe

AD GELLAM.

Gella si tibi mobiles dolorem
Quod dicis, moueant in ore dentes,
Fauces Palladiâ limas amurcâ,
Aut myrrhæ lachrymis odoræ inungas,
Aut succos colycynthidos saporos
Apponas, Lapithumq; succulentum.
Et (fidem nisi Plinij elevamus)
Pernarum cinis ossiumq; puluis
Sistit instabiles in ore dentes.
Quid multis? siquidem doles vtrinq;,
Possunt, lux mea, mobili mederi
Denti pharmaca mille, nulla menti.

IN BASSVM.

IGnoto tu patre satus memoraris, at ille
Non fuit ignotus *Basse*, quid ergò? Notus.

AD CORDVLAM.

HEu! quibus eripior fatis tibi, *Cordula!* quò me
Te sine sæva nimis sydera sorsq; trahunt?
Fata vocant, spondentq; meis fausta omnia votis,
Attamen invitus pectoreq; æger eo.
Nam, quis non, quamuis reges & sceptra vocarent,
A vitâ invitus sustinet ire suâ?
Nullo vita sinu terrarum gratior orbis,
Quàm mors ipsa tuo sit mihi, Vita, sinu.

IN OBELIVM.

DVlce canis quodcunq; canis nec miror *Obeli*
Cùm tibi sola potens dictet tua carmina, *Syren.*

De PHYLLIDE *&* ALCONE.

VOta pares faciunt contraria *Phyllis* & *Alcon*,
Ille priùs cupiens & prius illa mori.
Neutrius valuere preces, valuere vtriusq;:
Ille necem pariter sentit & illa necem.
Iam nemus Elysium pariter cum coniuge voti
Ille sui peragrat compos, & illa sui.

IN COLLINVM.

TE quoties aliquid venio *Collina* rogatum,
Talia pro votis verba reporto meis:

O vtinam biduo citiùs triduove perisses,
Quippè rogans à me rettulit alter heri:
Si pridiè semper das quàm *Colline*, rogaris,
Certum est te votis anticipare semel,
Cras veniam vt te sulpēdas, *Colline*, rogatū,
Vt cras ergò neges, pergè agè, pende hodiè.

IN FEBRIM CORDVLÆ.

FEbris querquera, quæ meos amores,
Quæ meam crucias crucem, meosq;
In illâ malè vindicas dolores,
Quàm meos malè vindicas dolores
Dum simul crucias meos Amores,
Me in meâ crucians cruce immerentem.
Non istam volo vindicationem,
Ipsius nece vindicis coemptam.
O quàm suauius est inultum abire,
Quàm sic vindicijs meis perire.

AD BVPHLIDA.

HOc speculū tibi *Buphli*, tibi hæc christallina vitri
Pignus amoris, inops mittit amator *Arepsi*,
Si sæpè inspicias, disces impunè tueri
Cerberon, et *Furias*, *Gorgoneasq;* comas.

AD ÆLIAM.

Si labris inhibere tuis *Brunum*, *Ælia*, quæris;
Expediam paucis quâ ratione potes:
Callida lacteolis Nutrix Absynthia mammis
Applicat, vt fugiat hubera nota puer:
Tuq; tuis si vis *Brunum* ablactare labellis,
Virguine, quod nemo lamberet, ora linas.

AD EMMAM.

Dimidium *Emma* tui tantùm Deus ipse creavit,
At reliquum cerdo *Clammius*, increpedis.

DEFLET MORTEM CORDULÆ.

Eheu! flebilibus nunc querimoniis
Nunc planctu misero nunc lachrymis opus,
Cùm spretâ rapuit Coniuge *Cordulam*,
Rivalis mihi tupiter.
O fatum *Niobes* dulce, quòd obruta
Immensis lachrymis in nova marmora
Conversa, immodicis flendo doloribus
Et vitæ posuit modum!
O si quis superum respiciet meam
Sortem, & me miserum in marmora verteret!
Ex me sic tumulum dædalus artifex
Candentem faceret tibi.
Et carmen notulis scriberet aureis;
Nunc marmor, Puer ai nuper, amabilis

Saeuer virginula, Nunc premo murmur hic
Quam unquam potui Puer.

VENERI VALEDICO.

CYpri blandula Cypridiſq; pupe
Et tu CORDVLA, non meæ, ſed olim
Muſæ nequitiæ meæ, fatebor;
Et quæ Muſa ſalacior ſolebas
Riſus ſuppeditare nequiores
Saluete vltimùm & vltimùm valete:
Sat vobis nimiumq;: iam per vrbem
Deſignor digitis (pudet videre)
Laſcivæ improbior puer Camænæ.
Inſanire ſat eſt ſemel, nec vltrâ
Molli carmine virginem papyrum
Incæſtare iuvat; iuvat modeſto
Sed nec inſipido nec inficeto
Et dextras ſale demerere & aures,
Sed nec inſipidas nec immodeſtas.
Quarè iam faveas DIANA vati
Nymfarum Dea virginumq; cura,
Tuq: adſis ô *Eliſiana Pallas*
Venus nulla, niſi illa caſta, ſancta,
Sacra, cælica, dia, diva, & vno
Dicam vt omnia verbo, *Eliſiana*.
Hæc mihi *Venus*, hæc mihi *Diana*,
Hæc *Pallas* mihi, & omnia vna ſola;

Finis Libri primi.

AFFANIARVM
Librum Secundum
EDOARDO MYCHELBORNO
meo
destino, dico;

Cui potius? nostras aliquid putat ille Camenas,
Ille animum Musis addit opemq; meis.
Nemo facit pluris, nemo sua carmina vultu
Candidiore legit, quàm legit ille mea.
Ad faciles properato manus, Pagella, nequibis
Charior in Domini delituisse sinu.

AD EDOARDVM MYCHELBORNVM.

QVæ tu carmina, quos sales iocosq;
Leporesq; vocas facetiasq;,
Quas nos *Affanias* ineptiasq;
Burras, quisquilias vocamus, atq;
Sordes candidulæ nigras papyri,
Hæc tibi damus & simul rogamus
Cùm legas EDOARDE, non datorem
Authoremvè velis putare CARLVM,

Nec Mei meminisse, sed libelli,
Personam simul induas severi
Totus judicis, exuas amici:
Nec parcas obelis, nec asteriscis,
Nec totas metuas, nimis modestus,
Crebris pingere paginas lituris.
At tu vnguem cohibes severiorem,
Nec limâ veteris, aut medente pennâ,
Signans omnia candidis lapillis
Quæ tuus tibi CARLVS exarauit.
Ego quid de apinis meis putarem
Quas tu non nihil EDOARDE censes,
Hæreo in biu â æstimatione:
Quàm penè (hem) tibi fido, quem negabit
Fides fallere, quemq. falli, acumen?

AD DIVAM ELISAM.

NEmo tui similẽ, post te, rogat *Alma*, Tonantem
Quisq; ipsam potiùs semper habere cupit
Te semper-salvam minus est præstare Tonanti
Quà post te similem, vel dare, *Diua*, parem.

AD GVLIELMVM PERCIVM Virum Nobilem,

VAtum candide carminumq; PERCI
Fautor optime, & autor optimorum

Idem et materies ſegeſq; , et idem
Mæcenas ſimul et *Maro* Britannus,
O quem nobilitant ſacræ Camænæ,
O qui nobilitas ſacras Camænas
Quæ te jurè colunt, coluntur à te;
Quem Phæbus decorat ſimulq; honeſtat,
Qui Phæbo decori es, ſimulq; honori,
Qui te ritè polit, politur à te,
Et grata vice quod capis reponis!
Phæbus me monet, et monent Camænæ,
Hos tibi dare peſſumos Phalencos,
Tibi (inquam) licet optumo Poetæ
Hos tamen dare peſſumos Phaleucos:
Illæ ſcilicèt admonent et Ille
Culto carmina PERCIO probare
Illis ſi cupiam probata et Illi:
Quæ, ſi Illis nequeam probare, et Illi,
Quòd nõ hoc mihi ſit, (quod eja, non eſt,)
Pelle carmina PERCIO probare;
Saltem Illæ hunc animũ probent et Ille
Quòd certè mihi ſit, (quod ecce, certe eſt)
Velle carmina PERCIO probare.

AD HILARIVM VERVM.

DOctum Theologum & bonum Poetam,
Meas delicias, meumq; ocellum,
Intimamq; animæ meæ medullam,

Integramq; animi mei medelam,
Meum illum Pyladem petas, *Pappre*,
Et supplex Domini preceris ore
Vvilleam properet venire, linquens
Vrbis tædia, sed diù, togatæ,
Et *lata* strepitus procaciores
Aulæ, et jurgia rauca disserentûm;
Prolongâ clamydem togâ lacertis
Aptet, et lateri breuem macheram,
Quam multo fabricaueret labore
Suam in pernitiem artifex Iberus.
Curis ergò renunciate curans,
Ruris ocia delicata nostri
Adspiret citius, suũq; CARLVM
Qui te te, optume, quicquid optumarum
Rerum est vndiq;, qui tuos ocellos
Non aues, patiens minus morarum,
Æstu pectoris impotentiori,
Quàm post egelidos gelu Decembreis
Auras Veris *Alauda* blandientes;
Quàm lentum tenera *Hesperum* puella
Desponsata nouo recens marito,
Vt zonam latus exuat molestam
Iam diu nimis (ah) nimis beatum.
Quarè si sit adhuc erit q; porrò
Quod semper fuerat, per omne *Verus*,
Iam tandem rata vota pacta, *dio*
Absoluat *Fidio*, viam vorando,

Casti.

Castigetq; moras, sciatq; longas
Omneis esse nimis moras amanti,
Dicas insuper, ô Papyre, quantum
Cor desyderium coquat, meumq;
Quantis pectus inæstuat procellis,
Nec vnquam mihi (si vel arefactæ
Fundum combibat *Hyppocrenis* imum)
Ægri pectoris acquiescet ardor,
Ni refrigerium salubris auræ
Præstet sensile, solus ille nobis
Morborum domitor, quies laborum
Curarumq; *Epidaurius* mearum:
Dùm mecum solet, os movente *Phœbo*,
Suaves texere colloquutiones,
Sed plenas salis, et facetiarum,
Quas emptas velit omnibus cachinnis
Cui justo jecur intumescit æstu.
Si nil blanditijs, *Papyre*, si nil
Blandâ profueris precatione,
Iras adfere mox, minaciasq;,
Et post molliculos leves *Phaleuses*,
Expectet tetricos truces *Iambos*,
Sed plures, sed amarulentiores,
Sed quales socero ferox *Lycambi*
Spartani rabies dedit *Poetæ*.
Fallor? an qui aditum prius parabat
Commotus tenerâ precatione,
Audacis iterum minis, moratur?

IN COSMICVM.

OMnes dilaudas, nil das sed, avare, poetis
Cosmice, lingua tibi est prodiga, parca manus:
Omnia dùm servare cupis, miser, omnia perdis,
Namq; tibi, quod das, reddere nemo solet.

Os hiat immensum, strictim tibi clausa crumena est,
Os tibi quam melùs claudetur, hietq; crumena?

AD COSMICVM.

AVrea quid toties me carmina *Cosmice* poscis?
Des aurum, fient aurea quæq; tibi.
Aurea non nostrũ est, dare carmina, *Cosmice*, nostrũ
Vt data reddantur aurea deindè, tuum est. (est

Nuper exhibui tibi poema
Hybernâ mihi nocte lucubratum,
Tuis *Cosmice* laudibus refertum:
O qualis fueras meis Camænis,
O quantus fueras meis Camænis,
Te supra posui *Herculis* labores,
Te supra posui *Iouis* honores:
Quid tu *Cosmice* præmij rependis
Tantis laudibus? hem! nihil. Sapisti,
Hanc laudem superaddo iam priori;
Fingentem alere æstimas iniquum,

mendacia non emes: sapisti.

AD INVIDVM.

Quã tibi pro meritis dignã precer, *Invide*, pœnã?
Audi multa, vide plurima, viue diu.

DE PHILLIPPO SYDNÆO

Equite Anrato, Poeta incomparabili.

Pastor, Arator, Eques cecinit *Maro*, celsior illo
Sydnæa cecinit, Pastor, Arator, Eques.

IN ARCADIAM IPSIVS.

Arcadia, e *Arcadicq*, pecus, Ipecudisq; magistri,
Atq; Magistrorũ est dùm tibi carmen amor;
Cuncta hæc qui stupidus non admirabitur, illum
Arcadicum possim dicere iure *pecus*.

AD EDMVNDVM SPENSERVM.

Nostrũ *Maronẽ EDMONDE CHAVCERVM*
Male hercle! si tu quidpiã potes male; (vocas?
Namq; ille noster *Ennius*, sed tu *Maro*.

DE EODEM.

TErcentum numeret cùm fertilis *Anglia* Vates,

SPE-

Spenseros nequeat cur numerare duos?
Sic ego; sic contra vati *Thamisinus Apollo*
(SPENSERVS tituli jussit honore frui)
Græcia *Mæoniden* tantùm dare dicitur vnum,
Virgiliosq; tulit Roma nec ipsa duos.

AD THOMAM CAMPIANVM.

O Cujus genio *Romana* Elegia debet
Quantum *Nasoni* debuit antè suo!
Ille, sed invitus, *Latijs* deduxit ab oris
In *Scythicos* fines barbaricosq; *Getas*.
Te duce cæruleos invisit prima *Britannos*
Quamq; potest vrbem dicere jure suam:
(Magnus enim domitor latè, dominator et orbis
Viribus effractis *Cassinelane* tuis,
IVLIVS *Ausoniũ* populũ Latiosq; penates
Victor in hac olim iusserat vrbe coli)
Ergò relegatas *Nasonis* crimine Musas
In patriam revocas restituisq; suis.

AD EDOARDVM MYCHELBORNVM.

ERgonè, dure parens, pluteo sepelire profũdo
Ingenij poteris pignera dia tui?
Quosq; tibi enixa est partus, *Iunone* secundâ
Musa, neges cælo liberiore frui?
Hyppolitosq; tuos laceris, pater impie, membris

Frustra

Fruſtratim indignis ſpargis agiſq; modis?
Quò tibi tot multâ vigilati nocte labores,
Sopitos longâ ſi modò nocte premas?
Quoue tot æſtiuo nati tibi ſole lepores,
Denatos prohibes ſi modò ſole frui? (bris
Dij melius! nec quod natũ eſt te à funere &vm-
Aſſerere, æternum funus obumbret opus.

AD SAMVELEM DANIELVM.

Spenſerum ſi quis noſtrum velit eſſe *Maronem*,
Tu DANIELE mihi *Naſo* Britannus eris.
Sin illum potius *Phœbum* velit eſſe Britannum
Tum DANIELE mihi tu *Maro* noſter eris.
Nil *Phœbo* vlterius; ſi quid foret, illud haberet
Spenſerus, *Phœbus* tu *Daniele* fores.
Quippe loqui *Phœbum* cuperet ſi more Britanno
Haud ſcio quo poterat, ni velit ore tuo.

AD MICAELEM DRAYTONIVM.

QVæ mihi mellitis blanditur fama ſuſurris,
Et lepidis aureis influit illecebris?
Draytonium (at quem, *Phœbe* virum!) ludibria rerũ
Carmina, ludibrio non habuiſſe, mea?
Nec modò (quod magnum eſt) non irriſiſſe, ſed illa
Legiſſe, et limâ lecta probaſſe ſuâ.
Majus adhuc, laudaſſe palam, dixiſſe poetam,

Atq;

Atq; hæc *Daphnæis* tempora digna comis?
Maximũ adhuc tacui; quin & me provocat vltrò,
Inviumq; suâ ditat amicitiâ!
Credimus hęc fatui? quid non mens credit Amãtũ?
Inq; ea quæ cupimus credula turba sumus.
Nunc ego næ verè placeo mihi, nam pudor, illud
Displicuisse mihi, quod tibi *Magne*, placet,
Qui Phœbo Musisq; places, quibus & placet vnũ
Et primum Aonijs te inseruisse choris. (habero,
Nomine digne tuo *MICHAEL*, tibi *CARLON*
Hoc vnũ, quòd amat, dignum vt ametur, habet.

AD IOANNEM HALLVM CANTABRIG.

Iane, lepos iuvenum, quos aut *Granton⁹ Apollo*
Ardet amans, aut quos deperit *Angla Charis*,
Cui *Nemesis* falces, *Rhamnusia* torua flagellum,
Telaq; summittit ferrea iure *Talus*,
Ingeniumq; dedit longè sublimius armis
Pallas & *Aonidum* sacra corona *novem*,
Vtere muneribus Divûm, & te sentiat orbis
Tormentum sceleri nequitiæq; datum.
Degeneresq; gemant mundi, sub verbere, mores,
Ingenij vt metuant tela trisulca tui.
Nec Satyris vitijs saturos incessere cesses,
Monstra sed *Herculeo* fœta furore metas.
Hinc olim surget laudum tibi prodiga messis,
Omnisesi numquam falce metenda *Senis*.

AD

AD EVNDEM.

Cum Satyras nuper nullo sub nomine *Phœbus*
Invisum nostris finibus antè genus
Viderat, exacto quater omnia pollice mẽsus
Omnia maiori numine digna videt,
Ergò suo fecit vulgò sub nomine ferri,
Famaq; iam *Phœbum* se superasse fuit:
Sed datur in meritum plagiarius indè pudorem,
Postquam te verum scivimus, *HALLE*, patrem.

AD FRANCISCVM ROVSÆVM.

Ecquid, vt in patriâ *Thamarim* fluminis vndâ
Nuda superfusis corpora tingis aquis,
Marmoreisq; secas fluctus, cohibesq; lacertis
Atq; agili salias per freta summa pede;
Dùm pectus candore nivens mirantur, & artus
Non credam Paphios obstupuisse cycnos?
At dum lacteolæ stupeant modulamina vocis,
Crediderim victos erubuisse magis.
Quorum aliquis quem diva *Venus* volucerq; *Cupido*
Delicias inter gestit habere suas,
Vnde novus nostris accessit fluctibus, inquit,
Sive *Caystrinus* seu *Thamisinus* Olor?
Cui contra blandùm ridens tenet ore *Cupido*
Hic venit è THVLES littore cycnus, ait:
In quo, *Tyndaream* cùm luserat arte *puellam*,

Fama

Fama refert *volucrem* delituisse *Iovem*.
Nunc me, dum teneros Musâ meditamur Amores
Pectore in hoc pennis plaudere sæpe iuvat:
Ille suos igneis, sed nostro concutit ore,
Vulnera quæ feci voce referre dedi.

AD BENIAMINVM IONSONIVM.

INius te voco, IONSONI, venito,
Adsum, qui plagii & malæ rapinæ
Te ad *Phœbi* peragam reum tribunal,
Assidente choro *novem Dearum*.
Quædam Dramata scilicet diserta,
Nuper quæ *Elysij roseti* in vmbrâ
Festivissimus omnium poeta
PLAVTVS composuit, Diisq; tandem
Stellato exhibuit poli in *Theatro*,
Movendo superis leves cachinnos,
Et risus tetrico *Iovi* ciendo,
Axe plausibus intonante vtroq;:
Hæc tu Dramata scilicet diserta
Clepsisti superis negotiosis,
Quæ tu nunc tua venditare pergis:
Iniuste voco, IONSONI, venito.
En pro te pater ipse, rexq; PHŒBVS
Assurgit modò IONSONI, palamq;
Testatur, tua seriò fuisse
Illa dramata, teq; condidisse

ese non modò conscio, at iuvante:
Unde ergò sibi PLAVTVS illa tandem
Lactus exhibuit *Iovi* Deisq;?
Maia filius, en, nepos *Atlantis*
Pennatus celeres pedes, at vngues
Viscatus, volucer puer, vaferq;
Furto condere quidlibet iocoso,
Vt quondam facibus suis *Amorem*
Per ludos viduavit & pharetrâ,
Sic nuper (siquidē solet frequenter
Secum ludere, plaudere, & iocari)
Neglectas tibi clepsit has papyrus
Secumq; ad superos abire iussit:
Iam victus taceo pudore, vincis
Phœbo iudice, IONSONI, & patrono.

AD IOSHVAM SYLVESTERVM, *Gulielmi Salustij* genuinum interpretem.

FAre agè, divini cultissima lingua SALVSTI,
SYLVESTER, *Clarij* ceu fuit ille *Dei*,
Elysii quâ parte iugi convenerat, & te
Edocuit sensus & sua verba *senex*?
An magè corporeâ *Herois* compage soluta
In te Anima Elysium fecerat ipsa sibi?
Credo equidem, & *Samij* rata dogmata sunt *seuis*
Non translata mihi, sed genuina canis. (vnde
Quin & posteritas si pagina prima taceret
Interpres dubitet Tune vel Ille fiet.

AD

AD FRANCISCVM MERESIVM
Theolog. Et Poetam.

TEnè etiam noſtras apinas legiſſe *Mereſi*,
Et nugas aliquid fortè putaſſe meas?
Meq; Poetarum poſtremũ, ſi modò quenq
In non poſtrema claſſe locaſſe tamen?
Iam deplorati palmam preciumq; laboris,
Cùm tibi non videar diſplicuiſſe, fero.
Ergo triumphales auſim depoſcere currus,
Ite meas circum laurea ſerta comas:
Quandoquidem qui *Pereſia Phœbog*, probatur
Me probat, et lauru hæc tempora digna putat.
Cur ego quid muſſent plebis ſuffragia curem,
Dum me *Patricij Conſul* et ipſe probet?

AD THOMAM STORERVM
De WOLSAEO ſuo;

Aſpirante, Triumphante, Moriente.

DVm tuus *Aſpirat Præſul* ſuſpirat *Apollo*,
Atq; ait; Huic *Daphne*, nõ mihi ſerta dabi-
Dũq; *Triũfat*, ouãs partoq; ſuperba troph-
Laudis, io, victrix Muſa, Triumfe canit.
Deniq; dum *Moritur*, *Libitinæ* imponit avara,
Sæcula furatur qui diuturna ſibi.

A

AD HENRICVM PHILIPPIDEM, *De Leporino.*

ILla vorax olim Bacchi melioris Abyssus
Nex cyathûm, febris cottidiana cadûm,
Per totam digitis designatissimus vrbem
Rabula, qui Numen nomen inane putat;
Audistin'? Leporem nunc exuit *Errice* totum,
Carcere nam clausus, desinit esse fugax.

IN LEPORINVM.

MVlta priùs vincto solitus pede, multa soluto
Scribere, juris adhuc dum fuit ipse sui,
Donatus merito *Leporinus* carcere, cæpit
Scribere nũc vincto et dicere cũcta pede.

VOTVM PRO LEPORINO.

DIj te compedibus faciles, et carcere soluant,
Proq; illis meritam dent *Leporine*, crucem.

AD PHILIPPVM MARETTVM.

HÆredẽ medicũ *Cromius* conscripsit *Opheltem*,
Non credis *Cromium* velle, *Marette* mori?

IN SALIVM.

PVrpureos multo *Salium* cum carmine flores
Mittit, io grates candida Musa refer.
Consuluit membris mittendo dona duobus;
Naribus en flores, carmina sed natibus.

IN BALBVLVM.

CONtemptos vulgò quereris vilesq; poetu,
Quòd nihili cõstent carmina multa dole
Ast vno quicunq; tuos emit asse libellos
Stare putet magno carmina pauca sibi.
Imo etiam gratis quicunq; coemerit illa
Balbule, tant' iterum vendere non poterit.

AD MATHONEM.

DVm *lupus* in mensâ dũq; est tener *agnus* e
Et conviva frequens cingit vtrumq; latu
Seuijt in teneram cur non *lupus* ore *bidentem*?
Astantem metuit te, *Matho*, nempe *canem*.

DE BOMIO.

MIratis *Bomio* cor non Epigrammata mittam?
Non emere ille cupit, non ego verba dare

IN PAETVM.

PAtronum sese Latroni vendere, non est
Pate patrocinium, *Pate* latrocinium est.

IN PAR CONIVGVM.

SI faustâ conjunxit *Hymen Iunone* maritos
Quos vno paritas vnijt vna jugo; (mēs,
Vna quibus domus est, thorus vnus, et vnica
Et Mens vna, fides vnica et vnus amor:
Vos faustâ conjunxit *Hymen Iunone*, mariti,
Vos vno paritas vnijt vna jugo;
Nulla quibus domus, haud vllus thorus, vllaue mēs
Non mens vlla, fides nulla, nec vllus amor.

IN BALBVM.

DIstichon in puerum Balbus meditatur Amorē,
Sed priùs ac natum est distichon, ille vir est.

IN LYCVM.

PAuperior nemo moritur quā nascitur, inquis,
Hæc *Lyce* solemnis næniа in ore tibi est.
Nudior è mundo nemo quàm venit, abibit
Quamvis vel dio sub Ioue membra cadant.
Hac paupertatem ratione famemq; sitimq;

Vt *Lyce* defendas & tueare tuam;
At longè fruſtra es; nam tu quàm natus es olim
Pauperior centum pol moriere minis.
Et quàm veniſti in mundum, denatus abibis
E mundo, binis nudior auriculis.

IN PÆTVM.

PRudentem me *Pete* putas, quia pauca loquenti
Pete ex confeſſis ſtultus es ergò tuis.

IN OBLYMVM.

ESſe tuos dicis ſi quos alis *Oblyme* natos,
Et ſunt, quippè ſcio quis tibi quemq; dedit.

DE AVDRIA ET POMBO.

FAmæ non nimiùm bonæ probæq;
Sed formæ nimiùm malæ virago,
Oris non nimiùm boni probiq;
Sed moris nimium mali venuſto
Nubit *Andria* delicata *Pombo*:
Digna non alio fuit virorum
Conjux conjuge, conjugéq; conjux
Dignus non aliâ fuit viciſſim.
Illam *Cerberus* haud velit maritam,
Illum *Tiſiphone* haut ferat maritum.

Sodalitatis si sit vna mutuæ
Medulla, velle & nolle idem.
Quis *Audriam Pombumq;* delicatulum
Cyprios negaret *turtures*
Illumq; *Brutum* illamq; verè *Portiam*
Idem volunt, nolunt idem.
Vidisse *Pombus* vellet illam nusquam,
Idemq; vellet *Audria*;
Videre *Pombus* nollet illam hinc vspiàm,
Idemq; nollet Audria.

IN COMTVLVM.

Mirabar cùm nec speculi tibi *Comtule* quicquam,
Nec tibi christalli mica, nec vmbra vitri,
Cincinnos quî tam adfabrè potis vsq; polire,
Et calamistratas pectere ab arte comas.
Iam scio: nam quoties crines & tempora pectis,
Illa quidem antè oculos præ manibusq; tenes.

IN LVSCVM.

FVracis secura manus tibi, *Lusce*, crumena est:
Excubias oculi tres ibi semper agunt.

DE VENERE ET PALLADE.

Aureolum ostentans malum *Cytherea Tonanti*

Hoc noſtrum eſt, inquit, mi *Paris* hoece dedit.
Excipit hãc PALLAS, & Quid, temeraria, turges?
Non tibi flava *Paris* poma, dedit *Helene*.

IN CÆNAM PHOTINIANAM.

Cænam dapſilis inſtruit *Photinus*,
Ad quam dùm pueri monentis ore
Omnes convocat hinc & hinc amicos,
Me credit ſcelus ille non vocare,
Et credo ſcelus ipſe non venire:
Ergò ne vacuus (quod indecorũ)
Immunisvè & aſymbolus venirẽ,
Præmitto puerũ meum coempto
Cibos exhilarante cum falerno:
Præſtò me memorem ſubindè præſto
Sponſorem, veniens ad inſtitutæ
Horæ momina iuſta; quiſq; iuſſus
Diſcumbit citiùs, novem ſedemus
Convivæ, decimus fit apparator.
Hìc dùm quiſq; opulentias guloſi
Exſpectamus Apicij culinæ,
Perficoſq; moramur apparatus;
Vnico, (neq; mentior, gulamq;
Hanc ipſam, meminit miſella, teſtor)
Armillo excipit (ô nefas!) ovillo.
Sed nec (ô ſcelus, ô piaculare!)
Nobis exhibuit meum falernum:

Meſſi

Mœsti surgimus ociosa turba
Ieiuni magis, atq; consedemus.
At tu cœna dehinc Photiniana,
Et tu parce mihi vale Photine:
Cœnabo precio domi minori
Quàm tecum, miser, esurire possim.

DE CIVIBVS CALÆNESS.

Vectorem *Europæ Taurum* mirabar, & vnũ hoc
In furtis monstrum credideram esse *Iouis*.
En maius monstrum modò vidimus, vibe *Calenâs*
Europæ Tauros quippe ibi ferre solent.

Eia Bovi vestro, cives, concedite, quippè
Vos *fœnum in cornu geritis*, sed *Bos* gerit aurum.

Colla iugo vester *Taurus* subducere nostro
Nititur, & poterat, nisi cornua panda vetarent.

AD AVITVM.

INgenium vt fileat, facies ait esse poetam,
Frons tua te vatem clamat, *Auite*; sat est.
In partes dissecta duas quà pectora pulsat
Pernassi formam barba bicornis habet.
Quodq; tibi patulo scatebras ebullit hiatu,
Os *Aganippaum* dicitur esse latex.

Crinibus at lumen ſpargens radiantibus aureum
In *Naſo* ſolium fixit *Apollo* tuo.

IN SORDVLAM.

QVàm benè conueniunt faciei, *Sordula*, mores!
Inhoneſta facie es atq; inhoneſta moribus.

DE BROMO OENOPOLA.

SIc noſtrũ *Bromus* Oenopola *Drachmam*
Miratur, perit, oſculatur, ardet,
Vt nil terſius elegantiuſue,
Nil emunctius aut magis politum
Dejerans, idiomate Anglicano
Poſt natas ait extitiſſe Muſas
Si tantum excipias duos *Maronet*
Spenſerum genumq; *Danielis*:
Tantas promere prome parce laudes,
Nam vulgo vt placeant mej libelli
Non poſcunt ęderæ tuæ corymbos,
Sed *Bacchi* potiùs tui culullos.

AD M.

SPonſa grauì moriẽs tibi nunc ferit arjete pectus,
Percuſſit grauiore tamen viua arjete frontem.

IN MVRCVM.

QVite *Murce* vocat, conuiuia lauta parabit,
Nempè *Lupũ* et pinguẽ certus habebit *aprum*.

DE CLYTIA.

FOrmosæ fusco matri quia dissidet ore,
Filiolum *Clytie* pernegat esse suum.
Quis tamen hoc credat? sed quis non crederet illud
Ipsa sui natum si neget esse viri.

IN GRVDIANVM.

CVm tantùm tibi tres fuere dentes,
Cænarum *Grudiane* vaste gurges,
Atq; horum grauiter doleret alter
Erosus carie teredineq;,
Immanem tamen obvoracitatem,
Ore vno *Lupus* omnium audiebas,
Illum mox tibi concauum atq; inertem,
Et bolis malè idoneum secandis,
Cincinnatulus extrahit *Mateus*.
Iam nec pes leporem citus fugacem
Nec turdum sua penna, pinna Percam
Tutum è faucibus asserat gulosis,
Solo robore dentium duorum
Immanes potis artuare pernas,

Et

Et nuper-vetitos amare gallos,
Raptoſq; vbere matris è lutoſæ
Procellos, *Capitoliq;* fidos
(*Infandum!*) *vigiles*, duoſq; pullos
Cum pingui genetrice devorandos.
Hoc bini tibi ſi dedere dentes
Iam ſani nimis & nimis valentes,
Ad Lupum redeas velim priorem.
Nemo eſt quin cupiat magis ferarq;
Te *Lupum Grudiane* quàm *bidentem*.

IN OLAVM.

AVrea Saturni redierunt ſecula, vidi
Inſpiciens naſum nuper *Olae* tuum,

AD LEPORINVM.

SÆpiùs exprobras læſi mihi crimen Ocelli
Quodq; miſer videam vix, *Leporine*, benè?
At tibi cùm geminæ ſint ſanæ, nec moror, aures,
Dic tamen, vnde audis tu *Leporine* malè?

IN SCVRRAM.

QVid tu, *Livide*, quid deeſſe Ocellũ
Poetæ blateras? tace, aut latrando,
Senties miſer haud deeſſe dẽtem.

Sce-

S Celeſte ſcurra, quid tibi vexatio eſt
Miſellum ocellũ, non-ocellũ? peſſuma
Rabieſq; fexq; rabularum, putida
Latrina peſtilentiarum, verminans
Canis cadaver, carcinoma narium,
Dicteriorum olida cloaca, ſcommatum
Inſulſiorum Abyſſus, heluo, vorax
Gurges? Nam ab omnibus quot vſpiam ſient
Triuijs, plateis, angiportis, augulis,
Converrit et corradit infameis jocos,
Vt ad ſepulchra *Ruffa* de rogis cibos:
Quin & theatra, compita, Lupanaria,
Et cum tabernis carceres tonſorijs
Decieſq; vicieſq; circinat die,
Et quicquid vſquequaq; peſtilentiæ eſt,
Quicquid cicutæ, vel venenati ſalis
Compilat et catillat, haurit et vorat,
Vt in alienos expuat tandem ſinus,
Scolopendra vt vnco læſa ferro, protenus
Eructat inteſtina, virus ſæpia.
Quãdò ergò quicquid vndecũq; luridi
Puris luiſq;, pituitæ, ſtiriæ,
Muci atq; tabis, fœcis atq; toxici,
Vappæq; rancidæ, aut ſaliuæ ſpurcidæ,
In hanc cloacam confluat ſacerrumam,
Velut *Amphitrites* omne flumen in ſinus,
(Quid expeditius?) venite ad-ſiſtite
Quibus alma curæ *Fauſtitas*, cordi *Salus*

Im

Immundus vno mundus en piamine
Lustrandus vt sit vndequaq; *Purus ab*,
Et hoc catharma consecretur hostia
Stercútio Deo; aut *Cloacina* Deæ.

IN QVENDAM.

QVidam, (sed qui se vrbanum putat atq; dicacē
Et natum emuncto nare vibrare saleis)
Vno maiorem magno me dicit *Homero*
Mæonidi illudens improbus atq; mihi:
Vno ego destituor sed lumine *Homerus* vtroq;
Hinc ego nempè prior *Mæonide*sq; minor.
Verùm ego Męonidē vel in hoc mihi credo priorē,
Sæpè etiam miserum devoveo hunc oculum.
Et precor, ô cæcum faciat me Phæbus Homerum,
Ne vultus videam, rabula vane, tuos.
Nam quisquis fæcem penitus cæcultat ad istam,
Huic oculus præstat, cassus vterq; satis.

IN BALBVM.

BAlbe tibi tacitus lege carmina, supprime nobis,
Sic tibi, sic nobis Balbe placere potes.

DE AVITO.

PAter *Latinæ gentis*, natus & *Deâ*

Humeri

Humeris ferebat ipse grandæuum patrem,
Pondusq; nusquam vir subibat charius:
Pater notorum mille, natus & noto,
Humeris *Avitus* ipse fert suum patrem,
Onusq; nusquam vir subibat gratius:
Quo nunc *Avitus* distat *Æneâ* rogas?
Vivum hic ferebat, ille mortuum senem.

DE MARTINO.

Depluit impostor *Martinus* aromata ab ore,
Gingiberis pollen, cynnama, tura, crocum.
Tu quæcunq; lubet tibi nomine grana requiras,
Expuet; os non est istud, acetabulum est.
Idem vel sicco tangat si poliice dentem
Extrahit; ô linguam tangat, *Atilla*, tuam.

AD FABRIANVM.

De grege versificum quidam, quem dicere nolo
(Tu *Fabriane* catus, quem volo, conijcias)
Flagicijs à me crebris contendit, & instat
Vt libris vivat carminibusq; meis.
Victuram ergò alijs ausint promittere famam,
Quam mihi, quam nequeant carmina nostra sibi?
At si tantus amor sit in ora venire *nepotum*,
Inq; libris vatum carminibusq; legi:
Davisios lædat mihi *Ionsoniosq;* lacessat,

In Naſonem dicat turpia quæq; trucem.
Haud aliter ſperet vatum per carmina famam,
Haud aliter meruit ſcilicet ille cani.

AD BARDVM.

SAnus es, ad ſeram qui ſcribis poſteritatem?
Tradetur nunquam litera, *Barde*, ſile.

IN CORVINVM.

PEllibus innocui pecoris et vellere tectum,
Corvinum forſan *Candide* credis ovem?
Ille quidem lupus eſt atq; inſidiator ovili;
Cui prædæ tenero cum grege paſtor erit:
Lanigeras deglubit oues, ouiumq; magiſtros,
Et cum carne cutim radit, et oſſa vorat,
Omnia nummiuorâ dum fœnore condit in arcâ,
Omnigenaſq; vorax haurit abyſſus opes.
O manus igniuomis *Porſenna* digna caminis,
Quæ denudat ovem vt veſtiat indè lupum.

AD MATHONEM.

PLuſquam dimidium vitæ *Matho* dicis *Auitæ*
Iure tuæ, genitor creditur eſſe tuus.

AD COLLYMVM.

Co

COllyme tres vno tibi sunt in corpore Divi,
Quàm divinus homo es, *Collyme*, tura ferã.
Mercurius manibus, petis *Amor alas* ocellis,
Cornuta juvenis fronte *Lyæus* etis.

ÆNIGMA. *Supellex.*

ESt quiddã quod quisq; sibi cupit esse, sed huius
Dimidium semper natum est disperdere totũ.

ALIVD, IN HARPALVM.

100. 5. 10. canis interpone furorem,
Hæc, tibi quid spondent *Harpale* fata, docent.

DE ARNO ET AFELLA.

BLanditias dùm forte suæ facit *Arnus Afellæ*
Pro vitâ *vitulam* dixerat ille suam,
Tu par redde pari, et, *Iuuenẽ* fac *Afella* iuuẽcũ,
Illiciti vt fugias crimina concubitus.

IN OBELIVM.

OMnia quæ scribis, quis enim miretur? *Obeli*,
Instabili titubant carmina clauda pede.
Dic mihi quî possint stabiles benè currere versus
Cùm tu, quãdò facis, vix benè stare potes?

IN

IN CLAVDVM.

ES pedibus captus, manibus tamen omnia capta
Atq; rapis, collo ne capiare caue.

IN PICVM.

Dum recitas, audisse parũ est tua carmina, Pice
Nec laudasse satis, deinde probasse, minus
Iãq; Sophocleos animose *Gagere cothurnos*
Exue, jam Daphnen ô *Lauare* tuam.
Iamq; mihi *Lauri* valeat, jam Musa *Stereri*,
Omnes victori laurea serta date.
Admiror te *Pice*, sat est mihi nihil, inquis: at euge
En stupeo: at quidnam? te mihi tam stupidum

DE LYCO.

Rem placidã atq; bonã dicit *Lycus* esse Poesin
Cùm vix Dactilicum calleat ipse pedem.
Nasonis nouit quæ sit sententia vatis:
Est virtus placidis abstinuisse bonis.

IN SCHOLAM MVSICAM ANTONI HOLBORNI.

QVin petis *Cythara* scholam, Iuuentus,
Cur nomen *Cytherea* vestra fecit,

Qua

Quam vobis aperit catus docendi
Holbornus, melicæ magister artis,
Et qui impubis adhuc geneſq; leves
Imberbeſq; puer refers ephebos,
Et cui fortior altioris æui
Currus attigit orbitas virilis,
Quin petis *Cytharæ* ſcholam, Iuuentus.
Tuq; ô dulcacidus puellularum
Quæ pupas *Veneri* modò dicarunt
Cætus virgineus chorus, venuſta
Quin petis *Cytharæ* ſcholam Iuuentus.
Quid pedes removetis hinc timenteis,
Puelliq; puelluluæq; dulces?
Non hic *Orbilius* ſedet magiſter
Hirſutus tetrico tremendus ore,
Sed multò ferulâ magis timendus,
Dùm dextrâ quatit imminente virgam,
Diram, Iupiter, improbamq; virgam,
Quæ plagâ teneram potente pellem
Sæuùm lancinat extrahitq; ſanguen;
Quin petis *Cytharæ* ſcholam Iuuentus!
Hic nullos ferulâ auteâ repellit,
Sed cunctos melicâ allicit ſaliuâ.
En hìc virgula nulla, præter illam
Quæ mulcet Cytharæ fides ſonoræ:
En hic verbera nulla præter illa
Quæ pulſant Cytharæ fides canoræ:
En hic murmura nulla, preter illa

Quæ reddit *Cytharæ* sonus decoræ:
Quin petis *Cytharæ* scholam Iuventus.
Tu cui vapulat æstuante luctu
Pectus, anxifero dolore squallens,
Si curæ est iecoris tibi gravantem
Edomare reciprocantis æstum,
Quin petis *Cytharæ* scholam juventus.
At tu qui *Charites Dicæi* et *Horæ*
HOLBORNE allicis attrahace plectro,
Argutæ fidicen lyræ, virentis
Reportabis adoream coronæ,
Si nactu tibi forsitan trifauci
Ausit *Cerberus* oblatrare surdus,
Tu vel harmoniæ tuæ potenti
Dentifrangibulo canis ferocis
Contundes miseros in ore dentes.
At tu Musica cui salua grata est
Quin petis *Cytharæ* scholam Iuuentus.

IN BALBVLVM.

FRigida quòd scribas Epigrāmata *Balbule*, nil est,
Nam facilè efficiet *Mulciber* vt caleant.

DE HATLONE.

QVā proprijs struxit manibus, proprioq; labori,
Ipse suam lassat, pendulus *Hatlo* crucem

Infælix didicit, sed serius, atq; probavit
Fortunæ fabrum quemlibet esse suæ.

DE MORISCO.

O Factum malè perperamq; *Phabe*!
Tun' dehinc opifer ferere terris,
Tun' parens *Epidaurij Draconis*,
Herbarumq; potens, potens medendi,
Tun' vatum pater et simul patronus
Soter et sator, autor atq; fautor,
Assertorq; chori cluis nouem,
Carminumq; potens potens canendi;
Tun' posthac oculus ferere mundi,
Lucis arbiter arbiter diei,
Luminumq; potens potens videndi?
Et vatem patieris tuum *Moriscum*
Moriscum pateris tuum poetam,
Dire, Iupiter! ingruente morbo, et
Affectante tyrannidem in cerebrum,
Priuari (miserum!) suis ocellis?
O factum malè perperamq; Phæbe!
Sic vates pateris perire vatem?
Sic ægro medicus negas medelam?
Sic curas oculos ocelle terris!
At quantò satiusq; rectiusq;
Fuisset, Clarij patrone cætus,
Peperciſſe miserrimis ocellis,

Et vanam potiùs necasse linguam,
Fœdis toxica faucibus vomentem?
Aut si parcere vis, *Apollo*, linguæ
Nulli parcere quæ petulca novit,
Ah quantò melius fuisset ipsam
Cùm visu simul abstulisse vitam.
O factum benè fortiterq; Phœbe.

IN BALBVM.

Omne feres punctũ scriptis, prodesq; placesq;,
Nam prodes piperi, *Balbe*, placesq; tibi.

IN CHARISINVM.

Exègit *Charisius*, edax quod nulla vetustas
Nullaq; posteritas mox abolebit, opus.
Nam quid posteritas, quid in hoc agat vlla vetustas,
Quod quâ compositum est luce, peribit opus?

AD PHILIPPVM A Lescoet.
adolescentem nobilem Gallum.

Florea dona mihi, niveam testantia mentem
Mittis, amor *Clarij* flosq; decore *Dei*.
Accipe pro roseis chartacea munera donis,
Pro niveâ niveam sed cape mente fidem.

De

DE LILIIS AB EODEM MISSIS.

Quàm benè conveniunt sincero *lilia Amori.*
Lilia sincerus quæ mihi mittit *Amor!*
Lilia regales, & *Amor* designat honores,
Regia candescunt *lilia*, candet *Amor.*
Lilia iucundos & *Amor* quoq; spirat odores,
Suavia frondescunt *lilia*, frondet *Amor.*
Lilia pulchra manus ornant, mentesq; fideles
Ornat *Amor*, florent *lilia*, floret *Amor.*
Lilia grata Deæ *Florę*, summoq; *Tonanti*
Gratus *Amor*, crescunt *lilia*, crescit *Amor.*
Cætera conveniunt sincero lilia *Amori*,
Hoc distant, pereunt *lilia*, vivit *Amor.*

Ad IOANNEM RICÆUM Theol.

Florea cum metricis mitto tibi carmina donis,
Inculti hortis vtraq; nata meis.
Illa quidem roseo sunt exsarurata liquore,
Gutta sed hæc Clariæ nulla rigavit aquæ.
Miraris niveum cur ambit chartula florem?
Ambit amicitiam chartaq; floscq; tuam.

Ad RICH. CARPENTERIUM.

En carmen cum flore, piam cum carmine mentē,
Et cum mente fidem, quicquid & ipse siem.

THOMÆ MYCHELBORNO

Floſculos mitto cum Scazonte.

ADeſto *Scazon*, melleum genus metri,
Suauè-*claudicans Iambicum* carmen,
Quo *Mimambos* Attico *rhythmo* tinctos,
Putos putos eamœna *Mattij* magni
Olim dedit (ceu Muſa prodidit *Mauri*)
Adeſto *Scazon* concitâ citò plantâ,
Si mulſeiq; muſteiq; magniq;
Manus poetæ mollicella delectat,
Mei MYCHELBORNI celeri petas greſſu
Cubiculillum, amœnulum venuſtulum,
Eiq; pactilem hanc corollulam defer,
Pudoriformi (ſic-vti decet) formâ.
Abito *Scazon* concitâ citò plantâ;
Quid ſtas inepte? quas iners moras nectis?
Virgunculam quid pudore ſuffundis
Genas? quid vſq; et vſq; ſupprimis greſſus?
Abito qualiſcunq;, ſerviamq; iſtam, et
Hos Gratiarum floſculo dato flores,
Qui ſemicluſis protenùs tibi labris
Oppanget Oſculilla centies centum,
Oppanget Oſculilla millies mille,
Nec admouebit ſerta ſæpius nari.
Odore viuo floſculi tui tractus,
Quàm te admouebit blandulo ſimul labro,
Amore blando CAROLI ſui tactus.

ce beatum his oſculis magis Scazon,
uàm ſi *Dianes* oſculeris à labris!
as beatæ citiùs vt potens ſortis
bito, *Scazon*, concitâ citò plantâ.

AD GVLIELMVM VAVGHANNVM, *Maridunenſem.*

Miraris varios vno de caudice flores,
Naturæ dubius munus an artis habes?
Auerſo natum miraris *Apolline* carmen,
Quod nil naturæ quod nihil artis habet?
Carminis et floris quæ ſit proſapia dicam;
Flos erat artis opus, carmen inertis erat.

AD AVLVM.

Carmine tu *Mauri* cenſes nihil altius, *Aule*,
Cenſurâ nihil eſt alſius *Aule* tuâ.

INDOLLIVM.

EX tripode eſt quicquid cõponis carmine, *Dolli*,
Sed ſuus et *Baccho* dicitur eſſe *Tripos*.

AD SERENVM.

QVæris et quereris doles rogaſq;

Quorsum quisq; *Serene* fænerator,
Et cujus loculos flagellat arca,
Egenis, licet optimis, Poetis
Credat pignoribus nihil remotis,
Cùm contra lanijs, fabris, colonis,
Membranæ tenui & levi papyro
Confisus, cito credat vsq; in annum?
Cur non credat identidem poetis,
Quæris & quereris Serene quærens.
Mendax turba leves sumus Poetæ.

IN DAVSVM.

Dause tuos cautus libros inscribis amores,
Nempè tuos nemo, tu nisi, sanus amet.

IN BLATERANVM.

Quid *Phœbum*, *Blaterane*, quid *Sorores*
Phœbi, quid *Charites*, quid & *Minervam*
Et quicquid superum vndequaq; seu sint
Inferni, *Medioxumi*, aut *Superi*,
Turbatus solet invocare vates,
Votis omnibus & modis fatigas,
Instas, sollicitas, rogas & vrges?
Quin nec Distichon vnicum paratus
Audes scribere, quin sacram coronam
Divorum famulantium citares,

Dein *Musas Charitesq;* nominatim
Saxis obruis invocationum,
Scribentiq; iubes adesse, tanquam
Ancillas famulasq; convocares.
Nimirùm vnica non benè invocata
Musa adhuc tibi contumax repugnat;
Quam sanctus *Numa* patribus *Latinis*
Olim conciliasse fertur, & quam
Vetustas *Tacitam* vocabat; Illi
Tu lita *Blaterane*: Tum placebis.

IN ARNVM.

Quòd legis, *Arne*, meos *caperatâ* fronte libellos,
Ignosco; vxoris, non ea culpa tua, est.

IN LABVLLVM.

Quicquid *Labullus* peccat in versu suo,
Id diluit Poeticâ licentiâ;
In syllabis si labitur vel litteris,
Largitur id poeticæ licentiæ;
Aliena compilaverit si carmina,
Ait esse per poeticam licentiam,
Vim *Priscianо* fecerit vel *Tullio*
Excusat id poeticâ licentiâ.
Sed heus *Labylle* mi! meam *Britanniam*
Cambdeni amabilem dico Britanniam,

Quid

Quid inuolasti glutinosis vnguibus,
Eamq; mi reglutinare pernegas?
Etiamnè et hæc poetica est licentia?

AD HOMERVM,
E Græcia in Britanniam,
A GEORGIO CHAPMANNO
traductum.

Smyrna, Chios, Colophon, Ithace, Pylos, Argos, Athenæ,
Eja modum antiquis ponite dissidijs:
Sistite de magni patriâ certamen HOMERI,
Anglia jam vestro patria MÆONIDI est.
Ecce *Britannorum* donatur jure *Quiritem,*
Muncipemq; vocant mœnia nostra suum:
Hunc ciuem CHAPMANNÈ tibi debere fatemur,
Acceptam debet patriam & ipse tibi.
Cui *Musæ* non sunt soluendo, vel augur *Apollo,*
Vni soluendo se negat esse tibi.

DE EODEM.

MÆONIDEM potiùs quis verba *Britãna* doceret
Quàm qui MÆONIDES ipse *Britãnus* erat?

AD IOANNEM MARSTONIVM.

GLoria MARSTONI satyrarũ proxima primæ,

Pri-

Primaq;, fas primas si numerare duas;
primam duplicare nefas, tu gloria saltem
MARSTONI primæ proxima semper eris.
c te pæniteat stationis IANE; secundus,
Cum duo sint tantùm, est neuter, at ambo pares.

IN DIVITEM DETRECTOREM.

DIves es, et nostros carpis *Puteane* libellos,
Quodq; potes famæ detrahis vsq; meæ:
Dij facerẽt vt quod nostris facis ipse libellis
Hoc facerem libris ô *Puteane* tuis.

AMICO,

Ad symposium poeticum inuitanti.

Estipulor; quis enim nisi cui frõs excidit omnis
Respuet oblatos à *Ganimede* scyphos?
nde agedum plenis mi musica mulsa culullis,
Funde iterum, juuat hoc me ebriulasse mero.
osce cadis totis tibi respondere paratum.
Ah caueas cyathis poscere, posce cadis.
oc malè habet, quòd cum mihi nectara pura pro-
Respõdere putâ cogar ineptus aquâ. (pines,

AD GEORGIVM SPRYÆVM.

QVid te GEORGI, sicut antè nil juuat
Amæ-

Amænitates ruris almas persequi,
Quas subministrat ora nostra jugiter?
Ridebit ergò desides domi canes
In vtramq; tutus dormiens aurem lepus?
Sospesq; ceruus ambiet jam Dorcadas
Lasciuienti blandiens tripúdio?
Et squamivestes *Leuuari* mei greges
Et *Rouseanum* combibunt qui *Tamarum*
Salui per imos lusitabunt alueos?
Abiere lusus ergo prorsum pristini,
Adusq; manes persecuti cælites
Amænulam, tenellulam, venustulam,
Bellatulam, beatulam sororculam
Germanicnsis quam (nefas) tegit lapis,
Sopore longo prægrauante lumina?
At ò monemus lachrymarum desinas,
At te reversus sanus et tuos jocos:
Temerare crineis, ora fædare vngubus,
Lacerare pectus, ictibus crebris caput
Violare dextræ sævientis, deniq;
Necare te, reuocare nonullam potes.

AD IAMBVM MERVM.

IAmbe pure, mollicelle, blandule,
Ades furore turgidus poetico,
Ades, sed *Harpals* absq; rictibus feris,
Ades *Theonis* absq; dentibus trucis

ec ore toxico cruenta ſpumido
adens, nec improbi cruore *Bubali*
cambicauè cædis æſtuans notis:
d integelle, blandicelle, candide,
bentiâq, Comitateq, integrâ
reata ſtrips, pudica qualem amabilis
let *Thalia* DOVZAE amiculis dare,
integris et intimis amiculis,
eatuliſq; (nam ter ô beatulos
more DOVZA quos beabit inclytus
mb̃ -*Apollo* DOVZA!) Talis ô ades
mbe pure mollicelle, blandule
ER *I* amantis aduola mei manus,
mabiles piaſq;, (*Iupiter!*) manus;
eſes, quid vſq; nectis improbas moras?
dhuc moraris impotens recedere?
epte! neſcin', hiſce quod dabis moris
uæ ipſe ſubtrahis beatitudini!

AD RICHARDVM MORVM. *Theolog.*

PRimus apud *Britones* Latijs Epigrãmata verbis,
MORE, tuo ſcripſit nomine notus *Eques*:
Huic ætate quidẽ, ſed non tamẽ arte ſecũdus,
Cui *Campus* nomen, *Delius* ingenium.
Vltimus his ego ſum, quem quãuis mille ſequãtur,
Præripiet, vereor, hunc mihi nemo locum.

AD

AD EDOARDVM MYCHELBORNV

SI qua meis EDOARDE videbis crimina li
(Vt quid in his præter crimina quæso vide
Neglige præteriens leuiter nec vindice pe
Aut celes lapsus dissimulesue meos:
Hæc poliat crebro-relegendos lima libellos,
Queis frons multa, quibus multa timenda ma
Omnia sed facilis tu condonabis amico,
Et mea, te præter, carmina nemo leget.
Sed neq; tu legeres si nostrum nomen abesset,
Quod legis, authori gratia, nulla libro.

AD IOANNEM BANCROFTVM

DVm te *Mercurius* mentitur imagine ficta,
Effingens habitus fictus et ipse tuos:
Non mirum est, si te vix internoscis ab illo,
Vix se à te verus sciret Atlantiades:
BANCROFTO dentur, *Ioui* aut Talaria Nato
Tollantur, Natum vix sciat ipse pater.
Si sciat, hoc vnum geminos discriminat, illi
Nequius ingenium est, candidiusq; tibi.

DE MAVRICIO, admirando Dei *Iudicio fulmine percusso.*

VEra cano; Vos effera gens qui ficta putatis

Numina, qui ſuperos nomina vana Deos;
Huc oculos; nam nulla animi ſemiuncia vobis,
Nec niſi luminibus noſtris habere fidem.
Vectus equo binis ſocijs ſtipatus vtrinq;
Notum MAVRICIVS accelerabat iter,
Planitie in viridi, quà diues teſtibus altâ
Conſpicienda patet turre *Sariſburia*:
Horrifico *Altitonans* tonitru quatit impiger axes,
Atq; animata fero ſulphure tela jacit:
Relligio ſubit alta duos, numenq; tremendum
Conceptis certant flectere ſupplicijs,
At medius (neq; enim in medio fuit enthea virtus
Sed ſcelus, improbitas, impietaſq; viri)
Degeneres animi, quid inania murmura, bombos,
Sibilaq; ignaui vana timetis, ait;
Iamq; è Naturæ cauſas atq; ordia pergit
Fulguris & flammæ promere prima, ſinu.
En ſubitum horrendo fulmen ſtridore coruſcans
Cum vitâ pariter, verba prophana rapit.
Et laceros artus ſparſim truncataq; membra,
In vacuum fruſtis aëra mille rotat:
Illæſi ſtupuere duo, et ſenſere paventes
Quid timor æthereus, quid pia vota valent.

IN ATHEVM.

DÆmonium oſtendas, vt credã Numina, dicis,
Dæmona ſi videam tunc rear eſſe Deum

O cæcũ caput atq; effrons! ſpeculũ inſpice tãdem
Cum te ipſum videas Dæmona nonne vides?

AD PONTIFICEM ROMANVM.

Cùm tibi nõ tantùm *Pontus*, ſed *Terra*, *Paluſq;*
Seruiat, inq; ſimul *Perſephonea* domus,
Cur tantùm *Ponti-fex* vis, *Romane*, vocari,
Vah! nimiùm titulus derogat iſte tibi!
Ergo digna ſuis tribuantur nomina rebus,
Et tu *Mundi-fex* totius eſto, Pater.

DE PONTIFICE ROMANO.

SVſtentare polos humeri valuere duorum,
Nec tamen eſt nimiùm ſarcina viſa gravis.
At vix vnius cervices pondera ſeptem
Romani poſunt eſſe ferendo *Patris*.
Nil miri eſt; illos tantùmmodo robora cæli,
Has Cæli et *Terra Tartarag;* ipſa grauant.

DE OSCVLO PEDIS.

QVi ſeſe eſſe *caput* totius venditat orbis,
Totum orbẽ pedibus oſcula ferre jubet.
Nẽpè docẽs, mẽbrum tãtò præſtãtius omni
Corpore in Hoc, quantò longius à *Capite* eſt.

O DE

DE OSCVLO PEDIS.

QVi sese esse *caput* totius venditat orbis,
Totum orbē pedibus oscula ferre jubet;
Nēpè docēs, membrū tūtò præstātius omne
Corpore in hoc quantò longius à *Capite* est.

DE ROMA.

ROma *caput* mūdi, verum malus vndiq; totus
Mundus; Roma caput totius ergò mali est.

Ioanna Pontifex Romana maxima pessima.

CUm tot Pōtificū res Testibus vsq; probetur,
Cur me pontificem *Roma* fuisse negas?

In Annum Iubilæum *Clementis Octaui.*

IVbila concelebrant nunc *Clementissima Roma*,
Quidque impune licet, præter id, esse pium:
Idq; licet, neq; enim tantum mala dico licere,
Nam *Romæ* cælum Numinaq; ipsa licent.

IN MONACHOS.

PElle Lupus, setis Vrsus, Leo noscitur vngue,
Vulpes fraude, Canis latratu, simia clune
Cornigero Dæmō vultu, *Monachus* q; cucullo.

AD IESIPPVM,

Qui molam vento versatilem eò loci moliebatur quam vulgò ROMAM *insignunt.*

NON ROMA *Iesippe* molis locus aptior vsquàm,
Cùm sit ROMA nisi ventus & aura nihil.

DE ARNONE.

INgressus templum vt Diuis præstaret honorem
Quo CHRISTI et sanctæ *Matris* imago fuit,
Intactæ incæpit prostratus dicere *Matri*
ARNO *Pater noster*, nato at, *Aue Maria.*

IN ALBO-VICVM.

QVid dã ex te, sed quod fas *Albo-vice* fateri,
Quod cælare netas, quod reticere scelus,
Quæsui supplex nudato vertice demens
(Quis me tunc cerebri micam habuisse putet)
Ipse recusasti verum mihi dicere; nam te
Vera-Recusantem Relligio esse jubet.

IN EVNDEM.

Non

NOn ego, quòd altâ ducis à domo genus
Atauosq; censes vltimâ abs origine
Duci CANVTI, non quòd infadum crepas
Plenusq; turges Equite auunculo & patre
Vtriusq; non indignus hæres degener
Morũq; opumq; (quippè vterq; perfidi,
Superbi, auari, callidi, nec tu minus:)
Non, te quòd indè vẽditas Armigerulum,
Caudamq; ducis horridam satellitum,
Famulũm et *Tenerum* (sic vocamus barbari
Miseros colonos, otiosi qui tenent
Dominiq; rura desidis, sumptu suo
Colenda et exercenda, dum miserrimi
Vigilant, laborãt, perferũt famem ac sitim
Ardent & algent, atq; partis abstinent
Ipsi & maritæ & paruuli Nepotuli,
Phalaris superbi inseruiant vt gutturi,
Gulam saginent, farciant ventrem popam,
Et sarcta tecta sospitent abdomina,
Alant nefanda vitia, *scorta* perdita,
Pathicos, cinædos, ganeones prodigos,
Dominæ q; pompam multiuolæ & fastus
Sibi cõjugiq; liberisq; detrahũt, (vagos
Quod ut veredos, accipitres, canes, feras,
Volucres rapaces crogent, ære et suo
Calamitates nutriant fundi sui:)
Ad te revertor eccè post parenthesin
Longam ALBO. VICE, sed nec hac parenthesi

Digressus à te, sed nec à re pollicem,
Non ego, quòd horum maximum à tergo trahit
Penem sequacem, qui vel ad nutus tibi
Viduant capillos supplices operculo,
Venerantur ore, at execrantur pectore,
Nec non & ore, quando securis licet;
Non ego, quòd ista aut mille curem talia,
Sed quòd scelestos horream vultus tuos,
Ideoq; ne videre fors sit hos mihi
Oculos galero vt contegam & faciem meam,
Nudo *ALBO-VICE* te saluto vertice.

IN BVBVLVM.

Morte tua poterit gravius nil, *Bubale* ferri;
In tantum pingues sunt tibi nempè nates.

IN AVLVM.

Semper in ore tibi est vulgaris Nænia verbi,
Qui me amat, ille meum debet amare canem:
Ius æquum petis atq; bonum, fas Aule fateri;
Te magis est catulus dignus amore tuus.

Qui *Bavium non odit, amet tua carmina Mevi,*
Qui te amat, ille tuum diligat, Aule, canem.

Ad Iambum

IN CAGVLAM.

Vi

VIndex mearum & vltor invictissime
Iniuriarum, (quandoquidem imbelles manus
Ineptæ ad arma, Martis indociles ferì,
Ensem vibrare nesciant, pennam sciant,
Quin ensis ipsa penna, arena chartula,
Minerva mi *Bellona*, *Musa Mars* mihi)
Metuende *Iambe*, sanguis *Archilochi* ferox;
Nunquam invocatus hactenus frustrà mihi
Adsis furore plenus atq; irâ tumens:
Tu quippè *Theseus*, quippè tu *Perseus* mihi
Nemesisq; telum ferreum, & dicam semel
In orbe vtroq; quicquid vltorum est Deûm:
(*CACVLAM* nè nosti? quin modò faxim scias,
Illud scelestum *Cerbero* & Diti sacrum
E fœce, vappâ, & sordibus rerum caput:
Quod nemo naris possit aut auris semel
Emunctioris paululum audire aut loqui,
Cerâ nisi aures comprimat, nares manu,
Ni vult vtrisq; fœtidis resurgere.
En ista vilis alga, carneum lutum,
(Videsnè *Phœbe*, nec sagittis conficis
Pythona dirum?) crescit, & (si dijs placet)
Et scire & esse quidpiam se venditat,
Magnamq; opinionis auram concitat
Inter profanum vulgus & pares sues
(Suos fuit dicendum, at interest parùm
Suos fuesvè dixerim, dicens pares)
Quippe è superfluente *Tullij* penu

Tria fortè nactus commmata, cẽtones duos,
Totidemq; gnomas, et *Terentii* tantulum,
Hemistichion *Maronis*, et nouem suum
Catulle (sed quo nescio fato aut modo)
Immanè quàm superbit, et sophos crepat!
Corrasa porrò quælibet purgamina
Latinitatis excacata putridæ
Louanienses dum cloacas sordidus
Olim catillat impudica lingula,
Fratrẽ sequutus transfugam atq; Apostatã
Fratrisq; frater admodum fraterrimus
Nisi semidoctus ille, at hic totus rudis,
Deum ille fallò, at iste neutiquam colens:
His ergò fretus atq; confisus, sibi
Plaudet placetq;, cæteros floccifacit:
Nimis triumfans, gestiens, adblandiens
Fatis et astris, atq; fortunæ suæ
Nimiùm fauenti (talibus semper fauet)
Pridem è numellis quòd repetũdarũ reus
Aures vtrasq; solputes reduxerit:
At his pepercit sors modesta, præscienS
Deberi et aures, et caput totum cruci.
At hic, *Iambe*, desina; ne te, meas
Dum vindicare cogitas injurias,
Injuriarum carnifex agat reum
CACVLAM quòd vrges esse carnificem sui.

IN STEPHANVM, BLENNAM,

blateronem, blitonem,

Qui

Qui quendam è cane pedagogico fungum mihi oppo-
fuerat, imò præpoſuerat, quem ob nominis et
naturæ affinitatem Aſinum inſigniu.

ELoquium ambabus manibus ad ſydera Craſſus
Extulit, vt ſemet tollat ad aſtra ſimul:
Sic Aſinos Stephanus diuino mactat honore,
Vt populus cælum ſe meruiſſe putat.

INEVNDEM.

NOnnihil eſt, quod ſic aſinos ad ſydera bardus
Et ſocium Stephanus tollit ad aſtra gregẽ:
Nimirùm didicit diuinum hoc, *Noſce teipſum*:
Se primas & in hoc nouit harbere choro.
Vt mulus mulum, ſic ſcalpit Aſellus Aſellum,
Mutua dant culis oſcula ſæpè canes.
At tu ſi ſapias Stephane ô tibi proſpice demens,
Prodigus in laudes neue ferare tuas.
Pertæſuſnè tui te vænum extrudere quæris
Arcadicum laudas qui ſine fine pecus?
An, quia Sileni fatis conceſſit Aſellus,
Illius cupias ipſe ſubire vices?
En iterum moneo tibi conſule. Sæpè videmus
Præconem laudis pœnituiſſe ſuæ.
Nonnè vides, vt quæq; Polus pulcherrima terris
Iuuidet, et cupidus ſemper ad aſtra rapit?
Hinc Angues, Vrſiq; pares, Canis, Hydra, Leones

Sydereos augent rapta caterua choros.
Tu quoq; cum simile tibi terra negauit Asellum,
Si sapis, incautus ne rapiare, caue.
Quid memorem monco? nam ne, fateantur Aselli,
Prouidus en palis destinat auriculas.

IN EVNDEM.

SI tibi pro meritis olim sors æqua fuisset,
Iam Stephane, auritum non videare pecus.

AD CAROLVM TRIPPVM.

VT te *Trippule*, *Trippulille*, *Trippe*,
Blanduliſq; minutuliſq;, ſicut
Blandulumq; minutulumq; par eſt
Voculiſq; vocabuliſq; palpem,
Meum ſuauiolum te et oſculillum,
Meum baſiolum te, et oricellum,
Et ſolatiolum, ſaluulamq;
Somuulumq; meum medullulamq;,
Corculumq; meum, meumq; ocellum,
Et *Cylleniolum* et *Cupidinellum*
Bellulumq; meum voco labellum.
Sed dum *Trippule*, *Trippudſce*, tere
Blanduliſq; minutuliſq; ſicut
Blandulumq; minutulumq; par eſt
Voculiſq; vocabuliſq; palpo,

Au-

Angescunt minuendo verba, sed tu
Decrevisse mihi videre, quare
Desistam citius, necesse, ne sis
Tuis ipse minutior minutis.

AD EDOARDVM VERNONVM, et HENRICVM SHOARDVM, Æucenasens.

SInceriorum dulce par sodalium
EDOARDE mi, miq; ERRICE
Natura nec vos vnus aut horoscopus,
Ætas nec vna parturit,
Sed vna virtus, vnus ardor ingenj
Amor vnijt gemellulos:
At si *Gemelli Ledæ* quos olim *Ioui*
Enixa peperit *cycneo*
Forent in orbe, seu (quod olim fors siet)
Vos inter alta sydera,
Polluce nec SHOARDE tu minor fores
VERNONE nec tu *Castore*,
Nec vos ab illis quispiam internosceret,
Adeò nec estis dispares,
Sed & gemelli penè cum *gemellulis*
Amore, mentibus, fide,
Nisi quòd se orsim sæpiùs illi luceant,
Vbiq; vos semper simul.

AD

AD VERVM SVVM:

Vere veni quænàm ista (malùm!) cunctatio? an
Longum iter ad *Carlum* sit tibi. *Vere* veni.
Ver venit ecce novum, pecudesq; & secla volanti
Et fata sentiscunt numine adesse Deum.
At mihi ni cum vere novo meus ille veniret
Verus, hyemps medio in vere severa venit.
Quæ mora? cœlo animam *dij Iovis* ecce serenam:
Imbricitatoris nil rabit ira Noti.
Nec variegatum lunat furor *Iridis* arcum,
Spicula sed pluviâ composuit pharetrâ.
Ergò veni: Te mille loci, te mille cachinni
Te mille amplexus, oscula mille manent.
Quòd nisi mî iusti sit copia facta petiti,
Vsurpemq; oculis ni citò amicitiam,
Hà! nunquam posthac tu mî vsurpabere *VERVS*:
An *Verus*, per quem sic ego falsus, erit?

AD EDOARDVM MYCHELBORNVM.

SI tibi, cui soli inseruit mea pagina, quicquam
Hactenus haud placuit, nunc *Edoarde*, placet.
Primus enim qui non incæptat, proximus illi,
Qui citiùs claudit non placitura, placet.
Sic tibi sic alijs opto mea posse placere
Vt, nisi fine suo, non potuere mihi.

Finis Libri secundi.

THOMA MYCHELBORNE mi: dicatur dedicatur

AFFANIARVM *Liber*

TERTIVS, ecce, tibi; Fratres cùm tertius inter
Aonios clueas, ſed mihi primus amor.
Quem primũ *Patrima Saïs* ſatis'oſcine dextro
Sorte mihi, cùm ſis vltimus ipſe, dedit.
Tertia noſtra, tui ſponſalia dia cerebri
Nata petit, cerebri nata vigore mei.
O mihi quàm grater, ſi quas ex hoc Hymenæo
Concipias copi pectore lætitias.
Vnius genetrix tibi ſi mea *filia* riſus
Extiterit, *Priamum* vincere dicar avum.
Nec metuo ſterilem, vetulâ ſit ineptior *Afrâ*,
Fit Niobe, cerebri fertilitate tui.

AD THOMAM MYCHELBORNVM.

QVidam è Grammaticûm ſeveriorum
Inſulſis pecuarijs, tremendum

At-

Attollit digitum, implicatq; frontem,
Et supercilij minacis arcum
Obliquat, miserumq; me & trementem
Torvùm lumine limat intuente,
Et centùm mihi verberationes
Dirus destinat, impotensq; flecti,
Hunc quòd quem tibi destinamus (ô vare
Nostri cordis iniquior) Libellum
Ausim filiolam mei cerebri,
Et non filiolum meum vocare.
Atqui Grammaticus meus negat se
Scire, filiolam hanc mei cerebri
Quam nuptum cerebro tuo dicamus
Vnam esse, & minimam vltimamq; natu
Fœturâ è triplici meæ camanæ
Quas ego Affanias meas vocavi.
Quarè, ô Grammaticelle mi, vicissim
Hunc nodum mihi, quæso, Gordianum
Acutâ ipse novaculâ cerebri
Dissectum citò des, & expeditum,
Vtrum mì integrius foret vocare
Natos Affanias, Librosvè natas?
Aut hoc si nimium nimis videtur,
Vestrorum mihi, quæso, Scævolarum
Pandectas, canonesq, Prisciani,
Scitamentaq; regulasq; normasq;
Omnes Grammaticûm vetustiorum
Gnavus discute, sedulus require,

Verum tutius expeditiusq;
Aequâ lege Latinitatis, atq;
Bonâ cum veniâ patrum priorum
Possim dicere *Remuli Remig,*
Sordem Grammaticos pediculosum, aut
Sordes Grammaticum pediculosas.

AD IANUM.

Vestibulum limenq; novi tibi *Iane* libelli
Dedico, commissam fac tueare fidem.
Si mentem adducat quis, sponte *Patricius* esto,
Si frontem adducat, *Clusius* esto pater.

AD CYNTHIAM.

Cynthia cede polo, noctu dominabitur astris
Clara *Sabetha* magis, casta *Sabetha* magis:
Aut potius ne cede polo, tu sydera noctu,
Illa suos *Anglos* nocte dieq; regat.

Ad Illustrissimam Heroinam
MARIAM PEMBROCHIÆ *Comitissam.*

SYDNAEI genuina soror, prosapia cœli,
Filia sed Phœbi, Phœbigenûmq; parens!
O quam te memorem! *Venerem?* at tu castior illâ
Illaq; te, quovis judice, pulchra minus.

Cal:

Calliopen? verùm Musarum illa vnica tantùm,
Musæ omnes insunt sed tibi, Diva, novem.
Euphrosinen? verùm illa etiam *Charis* vnica tantum,
Mille tuis ludunt luminibus *Charites*.
Pallada? sed Iovis è cerebro nisi nata fuisset
E cerebro nasci debuit illa tuo.
Ergò quis es? *Maria es*, quo dici nomine gaudent
Pallas & *Euphrosyne*, *Calliope*, atq; *Venus*.

Ad Invictissimum Heroa
CAROLVM BLONTAM.
Monticiæ Dominum.

Maxime *Blontiadum*, cui se peritura reservant
Agmina, *Tyronij* sorte superba ducis.
Solus *Iërneæ* qui ad pestem posceris *Hydræ*
Alcides, suboles non renuenda *Iovi*;
En tibi (quis meliùs humeros supponat *Athlanti?*)
Spesq; suas credit *Patria* resq; suas!
Heroûmq; Animæ, quotquot cecidere perempti,
Vltorem implorant teq; tuamq; manum:
Proq; aris tu, proq; focis gere prælia, pro te
Ara calet votis fervida, ture focus.

AD

AD REVERENDISSIMVM PATREM, IOANNEM WHITGIFTVM, *Archiepiscopum Cantuariens.*

Candida dona Dei qui te', *Whitgifte* negabit,
Qualia sint nescit *Candida Dona* Dei.
Nil te candidius certè meliusue dederunt
(Quantũ hominũ est) nobis Astra, bonusq; deus.
Sed neq;, credo, dabunt, quamvis rediviva reducãt
Argenti nitidos candida secla dies.
At ne *Dona*, precor, mutent sua, Numina; ni sors
Pro sene, *Whitgiftum* restituant iuvenem.

De Eodem.

AD CRANMERVM,

Non ideò te Phœnicem *Cranmere* vocamus
Quòd solus fueras vnus & absq; pari
Nec quòd rara avis, & mundo vix visa priori,
Nec quoniam lucis cultor & vltor eras:
Sed quia te in cinerem vitæ satur ipse dedisti,
Phœnicem vt cinis hic redderet inde novam.

Ad R. P.

TOBIAM MATHÆVM

Dunelmensem Episcopum.

Mite supercilij iubar, & lepor aureæ vultus,

Tuq;

Tuq; *Periclea* frontis amæna *Charis*;
Lingua, cui debet totum pro *Nectare* cælum,
Quâ sine, credo, forent pocula sicca *Iouis*:
Oraq;, *Hymettæ* quibus insidere *Quirites*,
Melliſluoſq; labris compoſuere fauos:
Vt veſtræ dijs animata teporibus auræ,
Musa reuiuiſcit penè ſepulta priùs.
Nec noua res, quod veſtra meæ nunc aura *Thaliæ*
Præſtat, *Aletheæ* præſtitit antè *Deæ*.

AD R. P. THOMAM BILSONVM, *Præſulem Wintonienſ.*

QVid *Phœbi* radijs exponere Noctua pullos
Audeo? quid cæcus prouoco grande jubar?
Sola ferat Solem ſtrips quæ ferat arma Tonantis,
Luciſugum metuat tela coruſca genus.
Te Solem mea lippa fugit BILSONE, tueri
Luſcula nec tantum eſt Muſa ferendo decus:
Nam radios impunè tuos ſi ferre valeret,
Fulmina tunc poterat telaq; ferre Iouis.
Fas animo coluiſſe tamen, quod cernere non eſt;
Nemo eſt tam cæcus quin ſciat eſſe *jubar*.

AD R. P. HENRICVM COTTONIVM, *Sariſburienſ. Antiſtitem.*

Meſſis

Mœsta suam fatis abreptam *Ecclesia* GEMMAN
Fleuerat, atq; vrbis vna querela fuit,
Quamlibet antiquum redeant noua secula in aurũ
Aurea vix *Gemmam* reddere secla valent,
Verum vbi te, cæleste caput, reuerentia Templi,
Sacrum pectus, bonos Vrbis, et orbis amor,
Deliciæ rerum COPTONI, viderat, astris
Delapsum, et fidei credita sacra tuæ,
En demissa polo nostra in solatia tandem
Gemma iterum, populi vox fuit vna, venit.
Larga suas omnes Iouis indulgentia *gemmas*
In te vno nobis contulit, atq; dedit?
Vtq; dedit, seruet; nam Tu si amittere, *Gemmas*
Quas daret, vnde habeat dactylotheca Iouis?

AD R. P.
D. ROBINSONIVM
Carlielensem Episcopum.

SAncte Vir, aut nulli, aut soli sociande *Renaldo*
Fòrs nisi quis mallet te sociare tibi:
Orba diù cujus jam *Ecclesia* credita curæ
Se curæ *sponso* comperit esse suo; (nugas
Non ego vt has, Venerande, legas cupere audeo
Sat mihi si hijs nugis te patiere legi.

Ad Virum Doctissimum,
IOANNEM RENALDVM.

O Virtus inuicta, ô insuperabile robur
Ingenij, et dextræ, die RENALDE, tuæ!
O telum metuendum, ô formidabile fulmen,
Vna leuis digitis penna vibrata tuis?
En Deus *Herculeo* calamum tibi robore donat,
Romulea vt pereat viribus *Hydra* tuis.
Ille manum telumq; mouet, quo fretus, in Vno
Omnibus obiectas hostibus, eccè, caput.
Intumeant Bellis, Armisq; Minisq; superbi,
Magna solet minimis frangere sæpe *Deus*.

AD V. D. MATHÆVM SVTLIVIVM.

VNica tantùm alios Victores palma coronat,
Deq; vno meruit hoste triumphus agi.
Nestora Dormannus timuit fugitq; *Noellum*,
Quod *vulpi* anserulus, *Foxe* tibi OSORIVS.
Hector et Hardingus cecidit sub *Achille IVELLO*.
Campiano Hannibali Scipio Fulkus erat:
Tum cor Papicolis *Renaldus* fregit in *Harto*,
Alba Stapeltonianæ ingera deinde premunt:
Vne negas vni *Sutlui* insistere palmæ,
Quotq; *Hydræ*, tot sunt jure Trophæa tibi.

AD GVLIELMVM TOKERVM. *Theologiæ Doctorem.*

Te

TE mea, si auderet tantum sperare triumphi,
Lectorem optaret Musa, TOKERE, sibi
Nempe venustates omnes, omnesq; lepores
Quicquid et est *Charitum* quicquid et *Aoniadum*,
Si modo te ferret, poterat mea ferre papyrus;
Cunctarum siquidem es dextra, *Tochere*, manus.

AD THOMAM HYDÆVM, *Sarisburiens. SSæ. Theo. Doct. cùm illi* DRACVM *meum obtulerim.*

SI suffurari curis gravioribus horam
Munia dum peragis irrequieta, potes:
Sive tibi hanc Titan sive hanc Plutonia cõjux
Fœnerat, et tricis forte vacare soles:
Hanc tenui impendas, minima est jactura, libello,
Impensæ precium gratia dantis erit.
Nempe *Pericleas* apinis puerilibus aures
Si potes, at vereor qui potes, oro, dabis.
Neue sit inuidiæ parui mensura libelli
Paruula; qui canitur, maximus ille fuit.
Non magè conueniens aliud tibi, candide, munus
Quam *Dracus*, ille sago maximus, ipse togæ es.

Eodem argumento,
AD RENALDVM BELLOTTVM *Theol.*

Quò te, quò liber impolite tandem
Audax pectoris impetus superbi
Instigans rapit, & trahit procacem?
Aut cuius fieri modò expetiscis
Dextræ sarcina, luminisq; pœna?
Bellotti nè? quid ô, liber, superbis?
Imprudens! fore te ferendo credis
Dextræ robora, luminumq; solem?
Audax omnia perpetrare, magnum
Quem canis, referes *DRACVM*, libelle.
Exi proinde, Libelle, non morabor;
Nolentem quis enim velit morari
Quem nemo nimium velit volentem?
BELLOTTO ergò aditus propinquiores
Adornes, videas virum, & salutes,
Qui pollens animo capaciore
Spiritus sapit enthei vigore
Vanæ præter opinionis auram
Multitudinis imperitioris
Maccorumq; sat impolitulorum.
Ille si modò vel remotiori
Te te afflaverit halitu, *Prometheus*
Iam binos propè mortuum per annos
Alter *Virbius* en clues renatus:
Vt lucro tibi mors eritq; laudi
BELLOTTVS tibi si dabit renasci!

AD GVLIELMVM THORNVM.
Hebraicæ linguæ professorem.

Thorne, cui sacræ mysteria cognita linguæ,
Inq; adyta ipsa dedit cui penetrare Deus;
Ni frustrâ quidam *Rabbinûm* è gente putarunt
Non aliud superis esse ideoma dijs;
Angelici vel tu ore chori facis ipse loquelas,
Angelicus loquitur vel chorus ore tuo.

Ad RICHARDVM HARVAEVM
Danmonium, Theol.

Has spicas tibi diva *Ceres*, tibi *Bacche* racemos,
Hæc tibi do lactis cymbia bina *Pales*;
Quippe *Ceres* segetem, vites mihi *Bacche* de-
Tu pecora & pecori pabula læta *Pales*: (disti
Verum ô prime mei teneris formator ab annis
Libamenta tibi, qualia quanta dabo?
Nec *Ceres* tantum debet seges, vua *Lyæo*,
Pastoresuè *Pali*, quantum ego iure tibi:
Tu mihi me quondam studijs, *Harvæe* dedisti,
Totum ego me gratâ nunc vice reddo tibi.

DE SALLIONE.

Sub cruce *Paulinâ* tàm bellè *Sallio* dixit,
Dignum vt *Petrinâ* non cruce nemo putet.

AD ASELLVM PAROCHVM.

Omne tulit punctũ duplicẽq; meretur honorẽ,
Et geminâ mystes laude vehendus erit.
Cuius facta suis respondent æmula verbis,
Nec vitæ pugnat dissona lingua suæ.
Qui monet atq; movet, iubet ire, & prævius instat,
Qui faciendo docet, quiq; docendo facit.
Talem, cùm te omnes meritò fateamur, *Aselle*,
Debita stat meritis insula bina tuis.
Prava docens peiora facis; linguamq; secuta est,
(Vara velut vibiam) pessima vita malam.

DE ASELLO.

Congrua temporibus atq; auditoribus ipsis
Qui loquitur, prudens præco salutis erit,
Præstat vtrumq; meus, quis non fateatur, *A-*
Apta loquens populis tẽporibusq; simul; *(sellus;*
Istis frigidius nihil est, nec ineptius illis;
Frigida nemo facit verba & inepta magis.

DE NANVLO, *sed doctissimo Theologo.*

Tantanè tantillo virtus in corpore? tantas
Tantula tàm varias arcula condit opes?
Qui nequit in *pulicis* sine scalâ ascendere tergum,
Cuiq; *cicada* volans *Pegasus* esse potest.

Inge-

Ingenio mundi partes complectitur omnes
Sydereasq; vices æquoreasq; vias:
Enthea vis animi Divûm mysteria pandit,
Et reserat summi condita iura Poli.
Iliada ergo nucis mirum est includere testam?
Illa sub hoc orbem claudere testa potest.

AD DIVAM ELISAM.

Dum mecum reputans imo sub pectore solus
Brutigenas rocolo, Martia corda, duces;
Quos vitâ, quos morte beas, queis vivere sub te
Contigit, & pro te principe, *ELISA*, mori:
Sydneosq, Drachosq, & *Martigenas Granvillos*,
Et *Burhoiadas* & *Gulielmiadas*:
Hasquinsos, *Frobisherios*, fatalia *Iberis*
Nomina *Norrisios*, *Caundishioſq,* tuos:
Atq; alios, quorum aureolis *Polyhymnia* stellis
Æterno insculpsit nomina clara polo:
Fœlices ter, dico, Animas! queis gloria vitæ,
Præmia queis etiam mortis *Elisa* fuit:
Nemo potest aliâ meliùs sub principe nasci,
Proq; aliâ melius principe nemo mori.

DE FRANCISCO DRACHO.

Fama ait, infantem si quando protervia *Iberum*
Corripuit petulans ore, animiq; procax;

Nec molles cunæ, nec blanda crepundia curæ,
Nulla movent Mammæ ludicra, nulla Tatæ;
Omnia nequicquam experiens mæstissima nutrix
Intexens tetricis blandula dicta minis,
Voce vocat ter deinde *Dracbū*, furor illico fractus,
Nomine nativos incutiente metus.
Scilicet à cunis pubes *Hispana* tenellis,
Et primo didicit lacte timere *DRACVM*:
Accrevit cum ætate timor; qui nomine quondam
Terruerat pueros, terruit ore viros.

Ad FRANCISCVM POPHAMVM, *Equitem Auratum.*

Quis faber hanc fulvo Gemmā cōclusit in auro?
Addidit hic precium scilicet atq; decus:
Tu precio decoriq; auro es *FRANCISCE*, nec vllis
Congrua pectoribus flava metalla magis.
Quod si deficerent mundū aurea pondera, mundo
Sufficerent mores fulva metalla tui.
Pectore gestatum hôc aurū minùs vndè superbit?
Gestantis mores ingeniumq; sapit.

Ad RENALDVM MOHVNVM, *Equitem Auratum.*

Nobilis *Illermi* soboles, qui more parentem
Et simul ore priùs, nunc & honore refers:

In-

Indepto dignum meritis à *Principe* dignâ
Gratulor en titulum quâ licet arte, tibi.
Te minimo æqualem mitis mens fecerat, ergò
Æqualem magnis nunc *DEA* iure facit.
Sic suâ virtuti sunt præmia: dotibus eia
Macte nouis, titulos nacte *Mohuue* novos.

Ad RVDOLPHVM HORSEIVM, *Equitem Aurat.*

Flos *Horseie* virûm quibus aureus ambit eléchus
Colla, quibus digitis fulgida gemma nitet,
Pectora cui *Pallas* dedit è potiore metallo
Quàm tibi quo pectus cinxerat aurifaber:
Quandoquidem *aurati* cluis *ordinis* ornamentum
Hæc finito ornetur nomine charta tuo.

Ad IONATHANVM TRELAVNIVM. Equitem Torquatum.

O multis memorande mihi, generose *Trelauni*
Nominibus, patriæ *Iulia* stella tuæ.
Præmia virtuti tibi non indebita *Princeps*
Nuper, & hæc etiam nunc tibi Musa locat:
Te titulis *Regina* novis & honoribus auxit,
Tu titulos auge moribus, eia, tuis.
Non *Equitem* auratum calcar, non aurea torquis,
Aurato digitus non facit orbe micans;

Au-

Auratum pectus, aurati in pectore mores,
Atq; *Equitem* virtus aurea sola facit.

Ad IOANNEM HARINGTONIVM.
Equitem Auratum, Poetam verè aureum.

VT tibi vis adsit *Phœbus* pater, inq; vocatæ
Adspirent faciles ad tua vota *Deæ*,
Sic tu crescenti faveas modò *IANÆ* poetæ,
Et blæso argutum te patere ore cani.
Tu quoq; (ni vanis adflet nos Fama susurris)
Pectora ab hijs Musis non aliena geris.
Nec satis *ORLANDI* furias domuisse canendo,
ANGELIÇAM Angelicâ vel cecinisse tubâ,
Quin arguta vago flectas Epigrammata torno,
Sive *Britanna* iuvent sive *Latina* magis.
Inq; his *Bubilco* poteris comes ire poetæ,
Illis *HEYWODOS DAVISIOSQVE* præis.
Nimirùm hoc verè est *Equitem* præstare, *Vere do Pegaseo* reliquos ant'-equitare Duces.

Ad C. V. THOMAM BODLÆVM,
Novæ bibliothecæ Oxon. instauratorem.

SEdibus extorres, totoq; *Helicone* relicto
Errabant profugæ, cœlica turba, *Deæ*.
Sicut apes, quibus Vrsa ferox immanibus ausis
Vimineos stravit, cerea tecta, lares,

Hospi-

Hoſpitio profugas *Aluredus*, & omnium egenas
Excipit, & miſeris fert miſeranter opem.
Mollia quin ſollers alvearia ſtruxit ad vrbem
Vdus oloriferâ quam lavat *Iſis* aquâ.
Haud levius moliris opus *BODLÆE*, minuſvè
Vtile vel *Chariſin* vel minus *Aoniſin*.
Dùm melicæ turbæ melicos facis impiger hortos,
Prataq; melliſluis vndiq; fœta roſis.
Queîs ſuccum *Latij* gens ſedula libet *Amoui*,
Et *Graij* florem, purima mella, *Hymi*.
Talis enim noſtris tua *Bibliotheca* Camænis
Qualis mellilegæ *Cloridos* hortus Apis.
Magnum opus, *Aonijs* ſtruxiſſe *palatia* Divis,
Sufficere hijs ipſis *Nectara*, maius erit.

Ad V. Cl. ANTONIVM ROVSÆVM.

Fœlicem memorare te parentem
Proventu numeroſiore prolis,
Naturæ ac ſimul eruditionis
Largis dotibus expolitæ ad vnguem,
(Seu quis diſcutiat vè cogitet vè
Florem corporis, indolem ve mentis,)
Nec *ROVSÆE* mihi libido, ſed nec
(Si novi benè te) tibi cupido eſt.
Quamvis quid melius poteſt parari
Primævo *AMBROSIO*? quid aut putari
Poteſt candidius tuo *ROBERTO*

Aut

Aut amabilius meo RICHARDO
FRANCISCO-uè facetius probari?
ARTHVRO dein' ANTONELLVLO-q;
Quid torosius elegantiusuè?
Ne natas loquar interim, quid autem
Natas? næ *Charites* tot aut' *Diones!*
Verùm, quòd Patriæ tuæ per ora
Omnium *Pater* audias bonorum
(ANTONI studiose cultor æqui)
Hinc est quòd meritò lubensq; possim
Fælicem memorare te parentem.

AD RICHARDVM CARÆVM V^a. Cl^a.

QVis Deus tibi tam bene inuocatus,
Disertissime millium trecentúm
Idemq; optime plurimûm CARÆE,
(Seu quis multiplicem eruditionem,
Seu quis, quo magis emicas elenchum
Morum ponderet elegantiorum,
Virturumq; tot auream coronam)
Quis (inquam) Deus (ô Deus profecto!)
Tantis te spolijs, tot et trophæis
Terrarum locupletat exterarum,
Domi perpetuò interim morantem
Et libris patriæq; seruientem?
Quò *Graij* tibi, quò tibi *Latini*

Aurà

Auri pondera tanta? quoue *Hetruſci*
Galli, *Teutones*, invidiq; *Iberi*
Tàm adfatim tè opibus ſuis bearunt?
O ſi tot Deus ora, totq; linguas
Mihi indulſerit, vt tuas referrem,
Laudes, quot dedit ora quotq; linguas
Tibi vno Deus ore, linguâ in vnâ?

AD ROBERTVM MOYLIVM V. CL.

NVper vt *Aoniâ* reſidens feriatus in vmbrâ
Contẽplor *Clarium*, frõdea regna nemus.
En tua me virtus pellacibus allicit eſcis
Et ſacras pennâ præpete capto dapes:
Ah! quibus illaqueor pedicis! quæ rætia mentem
Impediunt captam, compedibuſq; premunt?
Hinc *Pietas*, ſoror inde piæ *Clementia mentis*
Hinc *Sophia*, indè *Lepos*, hinc *Themis*, inde *Charis*:
Hinc amor in doctos (quorum es non vltimus) omnes,
Indè animũ ſtricto cõpede plura ligant.
Retibus eja pijs me nunquam exolue MOYLI,
Dum ràm dia animo ſuppetat eſca meo.
Talia ſunt etenim mihi retia, talis et eſca,
Vt dubitem, capiant retia an eſca magis.

AD ANNAM MOYLIAM ROBERTI conjugẽ *Doctiſſimam Pientiſſimam.*

AN-

Fœmineo gestans mascula corda sinu,
Cui *Graio Vranie* ter pectora lavit aceto,
Cui *Latium* indulsit dia *Thalia melos:*
O quam te sophies olim in penetralia Diuam
Duxisse, aut mammis dicam aluisse suis!
Credo equidem *Pandora* fuit: quin verius illam
A mammis alitam credo fuisse tuis:
Aut Diuis *Pandora* velut sata milibus vna est,
Sic tu *Pandoris* milibus vna sata es.

Ad Virum Ornatissimum
CHRISTOPHORVM MAINVVARIVM.

O Quem fata deum melioraq; sydera tandem,
Queis ludo fuimus ludibrioq; diu,
Iã miseros miserata, et fessos fessa premendo,
Aut fracta aut nostris exsaturata malis,
Sublicium generi cupiunt supponere nostro,
Et jam-lapsuræ tigna nouella domo;
Nullaq; ne subsint priscæ vestigia sedis,
Reliquijs sulchrum ruderibusq; parant!
O defloreni tandem nouus insite trunco
Surculus, et frondis spes recidiua nouæ!
Lauta antiqua domus, per secula trina superstes,
Et fundata atauis atq; habitata meis,
Per scelus, ecce, nothos nacta ignotosq; colonos
Disparibus dominis est dominata diu:
Cætera perdiderat, nomen seruauit auitum,

De-

Dedecori dominis opprobrioq; nouis,
(Vt quoties tituli subeant et nomina mentem,
Et crimen videant et sua furta simul:)
Vindice, MAINVVARI, teq; assertore reuixit,
Et postliminij jure renata viget.
Indigenasq; suos tandem rediuiua salutat,
Hæredesq; suos et sua regna videt.
Vindicat AENEAS profugos ex hoste Penates,
Et facto potuit promeruisse polum:
Tu profugos hostes virtute Penatibus arces,
Vix tibi pro meritis sufficit ipse Polus.

AD Famam,
De reditu RICHARDI ET FRANCISCI ROVSAEORVM, è Belgiâ.

QVid me, quid Dea lingulaca, *Fama*,
Tibi est lusio nunctijs cupitis?
Quid aures mihi, vana, prurientes
Quas nosti satis esse ad hos susurros,
Blandis vocibus vsquequaq; lactas,
Quæ *Franciscolum* meum, et *Richardum*
Fratrum nobile par beatiorum,
Vota jam soluisse Dijs marinis,
In portu memoras *Plymuthiano*:
Deinde *Haltonia* domus patritæ
Fælicem genium, et lares cupitos
Visisse, et decumam Diis reversos

Im-

Immolasse penatibus salutem?
Credamne hoc tibi Diua millelinguis,
Cui ludo toties fui et cachinno,
Vanis credulus vsq; et vsq; verbis.
At si vera mihi bonæq; tandem
Calculo fidei probata narras,
Immortalis in hoc repentè fiam
Nunctio: At tibi, Diua mellelinguis
Veracissima cælitum Deatum,
Non ingratus ero, tibi sed aram
In *Francisculi* mei et *Richardi*
Genis purpureis struam, vt quotannis
Hâc nostris Hecatomba de labellis
Tibi concidat osculationum.

Ad eosdem fratres reduces.

CErtũ est credere, quippè noster ille
Verus, quo mihi nemo *Veritas*
Litauit meliusue sanctiusue
Cujus verba ego pluris æstimarim
Ac centum *Tripodes* tot et *Sybillas*,
Nunctio cupidâs beauit aures.
Quare ô jam Dea præpotens volandi
Te manent tua sacra; adeste quot quot
Estis mi super osculationum,
Votum soluite pro parente vestro
Votum quod pepigit *Dea loquaci*.

At vos ô reduces mei ſodales
Mi FRANCISCI OLE atq; mi RICHARDE
Expedite genas, ſinus, ocellos,
Colla, pectora, dexteras lacertos,
Nam volans venio feroq; mecum
Centenas ſimul oſculationes,
Amplexus totidem, tot & cachinnos,
Et nexas manuum jugationes:
Quin illas quoq; dædalas parate
Linguas, artifices locutionum,
Garritus volò mille, mille rerum
Meſſes ingerere auribus nouarum:
Qui mores hominum, ſitus locorum,
Vrbiumq; ſubvrbiûmq; vultus,
Fontes, flumina, campi et ambulachra,
Auræ temperies, cibi, atq; potus;
Quid monſtri fuerit vel vnde natum,
Cocyti, an *Stygis* è palude, *Zythum*
Mu'ſum *Teutonici* merum palati,
Et quàm diſpare diſſidet ſapore
Noſtræ ceruiſiæ *Bloſlemianæ*?
Verum autè omnia ſum ſciendi avarus,
Quo res *Pieridum* loco, quid ille
Exterarum *Academiarum* ocellus
Leidenſis lepor apparet nouorum?
quid *Iuni Genius*, *Chariſq*, *Douſæ*,
Peithæ Scaligeri, *Heurnijq*, *Phœbus*,
Quid *Volcania* cogitet *Minerua*.

Hæc vt vos mihi cuncta hiantem in aurem
Verbis Nectare ſeſamoq; ſparſis
Inſtillabitis ipſe totus ora
Optarem fieri manuſq; quò vos
His amplectærer, oſculærer illis.

Ad GVLIELMVM & THOMAM MOHVNOS, Fratres germanos,

Quos mihi non generis modò copula, nō modo
Sāguinis, & patrius cōciliavit amor, (nexu
Sed, quo nullium animos gluten ligat arctius, ipſis
A cunis paritas, à feruliſq; fides!
Vobis ſi noſtræ poterant caruiſſe papyri
O quantâ poterant parte carere mei!
Quam tener à trunco concepit ſurculus, illam
Servat anus retinens arbor, opaca fidem.
Et nos, quos eadem junxit *Lucina*, *MOHVNI*,
Soluere, vel nemo, vel *Libitina* poteſt.

Ad GVLIELMVM Lūcrium.

Tunè etiam hijs honor accedes, *Illerme* papyris,
Affanijſq; legi te patiere meis?
Vndè ergò incipiam, aut vndè ordia prima capeſſā,
Quid medio dicam, quis mihi finis erit?
Conantem proavos, tua me vocat inſita virtus,
Geſta foris recolo? ſunt potiora domi.

Vos

Vota priùs, nunc verba novâ virtute fatigas,
Quodq; canâ-semper, dum cano semper, adest.
Quid faciam ambiguũ est, taceã nisi; nõ ego pennâ
Alcidæ, Virtus scilicet *Hyd.æ* tua est.

Ad RICHARDUM CAREVM, Ri. Filium, è Galliis reducem.

MElligo juvenum *Carae*, quotquot
Dammoni occiduis alunt in oris:
Ecquid Fama sinistumæ auricellæ
Veris se insinuat meæ susurris,
Te longæ peregrinitatis omnes
Exanclasse molestias, marisq;
Emensum omnia tædia, ad parentes
Patremq; vnanimum, piamq; matrem,
Membrorum incolumi statu rediisse,
Onustum omnigenæ eruditionis
Gazis & spolijs, quot aut Camęnæ
Dant vænum emporio *Lutetiano*
Aut culto *Aureliæ* vrbis in Lycæo.
Quà tibi Aonij latus *NEVILLI*
Phœbæumq; *TREL AVNIVM* sequuto
Aulam invisere curiamq; magni
Regis contigit, æmulam Tonantis.
At ô *Ligeri* potentis Aula,
Ætatem benè sit tibi, quòd almum.
CAREVM modò patriæ patriq;

Post desyderium vtriusq; longum,
Saluumq; incolumemq; reddidisti.
At tu non modò ingenium q; opumq;
Verùm & laudis et eruditionis
Patritæ genuinus artis hæres
Cresce in spem patriæ, hostium timores,
Patris delicias, Elisæ amores,
Donec consilijs senex, at ore
Et membris iuvenis sat intigellus
Totum *Nestora* vixeris, tuisq;
Album feceris *Albiona* factis:
Melligo iuvenum CARÆE quotquot
Dæmoni occiduis alunt in oris.

Ad IOH. BARKHAMVM.

O quantum est hominum politiorum
Amicissime, quantum amiciorum
Politissime, quantum & est vbiq;
(BARKHAME) ordinis optime vtriusq;!
Ten' tantum Charisin virum & Camænis,
Quem tanti faciunt & illæ et illæ,
Quanti nec faciunt suas papillas,
Quanti nec faciunt suos ocellos,
Seu quid charius est vel hijs, vel illis;
Tanti næniolas Carolianas,
Sciscas, quisquilias q;, lappulas q;
Merarum tineas q; ineptiarum

Ten

Ten' tantum facere, et probare talem?
Ite, ite ô Criticûm severiorum
Putidissima gens et inuenusta;
Ite et Grammaticûm molestiorum
Pædagogica plebs et inficeta;
Ite, et næniolas Carolianas
Dirùm rodite, carpite, atq; in illas
Verba fingite vilìora longè
Scissis, quisquilijsq; lappulisq;
Merarum tineisq; ineptiarum,
Vos ego morer atq; vestra morus,
Hilum? Centuria suè mille vestrûm!
Vos moros moror atq; vestra: quin mi
Pro multis *Plato* millibus sit vnus.

Ad IOANNEM PIM.

PHæbi delitiæ, lepos puelli,
Veri dextime otelle, ocelle *Caroli*,
Mellitissime IANE PIMME, qui res
Absentis CAROLI tui sodalis
Procuras adeo fidele curâ
Vt quisquam haud pote sit fideliori,
Quantumuis pater aut patronus esset,
Aut, majus loquor, ipse *Verus* esset;
En gratus tibi res tuas remitto,
Quas gratans mihi mutuas dedisti:
Cumq; illis totidem remitto grates,

Quot in te radij eruditionis,
Virtutum quoq; ſtellulæ niteſcunt,
Si grates modò tot poteſtur vllus
Fando fatier, aſſequi putando.
Verum adhuc habeo atq; habebo ſemper
Vnum à te mihi mutuum; Tuum Cor:
Tuq; habes ſimul atq; habeto ſemper,
Vnum à me tibi mutuum; Meum Cor:
O in tecula longa vterq; ſeruet
Hoc ſuum ſibi mutuum ſodalis,
CARLI PIMMVLVS, illiuſq; CARLVS.

AD VERVM meum.

ATq; en, quod nunquàm veriti ſumus, altera (meſſis
Exuit occiduas jam ſicelice comas,
Dùm non natali me lux natalis in orâ
Heu! procul à *Muſis* te quoq;, VERE videt.
Lux, quæ me terris te *Bar-Ptolomæe* dat aſtris,
Ergò tibi meritò feſta, nefaſta mihi.
Non ego verba tamen dico bona, non ego verſus,
Non ederâ facio carmine, thure, roſâ.
Nec capiti implexam Phœbeâ è frũde corollam
Inficit exigui ſparſa ſaliva meri:
More Poetarum, noſtro quoq;, dum mea regno
Res ſtetit, et ſtabili ſors mea nixa pedi.
Vt quid enim? à *Muſis* & te, mi VERE, remotus
Vſquam natalem rebor adeſſe diem.

Cer-

Certè, ego cùm primùm *Musas Veramq;* reliqui,
Tunc mea, tunc vere mens sibi visa mori.

AD THOM. TRAVERSIVM Theol.

NVper corruerat, gravemq; traxit
Fractis molibus antibusq; ruptis
Columnisq, labantibus ruinam
Ædes, quam populi prioris error
Diuùm nescio cui sacrauit olim,
Germanicq; dedit referre nomen;
Mox illam Attalicis redintegratam
Rursus sumptibus extruit popellus,
Et templum ædificat Deo dicatum;
Tu sacri pie mystagoge verbi
Devotumq; Deo caput TRAVERSI
Hunc ipsum ædificas pijs popellum
Præceptis, monitisq; sacrosanctis.
Hoc discriminis inter est vtrosq;,
Quod struit populus ruet vetustas,
At quem tu populum struis, vetustas
Nescit destruere aut perennitates.
Nam quorsùm metuet domus ruinam,
Quæ fulcro solidissimo refulta est,
Cûi *Christus* lapis angularis ipse est?

XENIOLVM IOANNI RICEO *Theol. Cal. Ian. exhibitum.*

Sic meæ menti tua Musa chara est,
Sic meæ Musæ tua mens amata est
Vt tibi semper melicas Camænas
Exhibuissem;
Ni pudor menti rubicundus obstet,
Ni rubor Musæ pudibundus astet
Et tibi versus dare me vetarent
Musaq; mensq;:
Sic pudor menti rubicundus obstat
Sic rubor Musæ pudibundus adstat,
Vt tibi nunquam timidas Camænas
Exhibuissem;
Ni meæ menti tua Musa chara
Ni meæ Musæ tua mens amata
Ni tibi versus dare me juberent
Musaq; mensq;

Ad Ioannem Wilobaevm *Latisorensem.*

SI quid non planè illepidum fiet inq; venustum,
Carminibus vel siqua salis semiuncia nostris,
Quæ suaui saturas embammate condiat aures
Lectoriq; gulam moueat, reparetq; palatum,
Haud me adeò pudeat quòd te *Wilobee* vocaui
Conuiuam tenuis mensæ modicæq; patellæ.
Gratus ades, si quisquam alius, discumbe paratus,
Si qua placent libes, si quæ malè-cocta supersint

Vel-

Volcano prandenda dabis, reparandaq; flammis.

Ad IOANNEM LEIVM.

SI quid ab ingenio mihi, si quid ab arte fuisset,
Quo tuus in caput hoc pelliceretur amor,
Forte aliquid tibi LEIE minus debere viderer,
Cumq; tuâ pariter laus mea juncta foret:
(Nam virtus adamante suum trahit illice Amorem,
Nec precio studium fas spoliare suo)
At quòd me immunem meritis, et rebus inanem
Digneris muni corde putare tuum,
Materies potior mihi, causaq; major amandi;
At soli cessit laus in amore tibi.

Ad ANTONIVM GEOFRIDVM.

PArs potior *Geofride* mei, qui pectoris hujus
Tantũ habeas, quantũ nominis hujus habes;
Ipse quidẽ si quãdo tui possim immemor esse,
Dimidij possum non meminisse mei:
Tuq; etiam si quando mei potis immemor esse,
Totius poteris non memor esse tui.
Iamq; meis donec populi legar ore, necesse est
Tu populi chartis ore legare meis.

AD

AD Literas
A IOANNE DEBILLO ad me missas.

LIttera grata, mei gratissima scripta *Debilli*,
Nunctia fida animi, fabrica docta manus,
Grata mihi plusquàm cuiuis sit dicere, adesdum,
Et refera labijs basia mille meis.
Inspicio dorsum, video mea nomina, lætor,
Cerea tum celeri vincla resoluo manu.
Inspicio frontem, lego nomina chara *Debilli*,
Vix mihi cor saliens pectoris aula tenet.
A capite ad calcem lego singula, singula amorem
Spirant, et decies lecta relecta placent.
O nardi myrotheca meri, preciosa papyre,
Æternùm nostri pectoris hospes eris;
Primò tacta manus, oculos dein lecta beasti,
Littera, nunc pergas clausa beare sinus.

In Aurum, eisdem literulis inclusum, Ludicrum.

HOrrificos partus, et inexpectata parenti
Pignera, mirari desinat orbis iners:
Quis fãdo audierit patrũ, quis vera nepotũ
Crederet? en veterum chartula fæta parit.
Iuno tuam *Lucina* fidem? jam charta laborat
Parturiens, ægræ fer Dea mitis opem.
En parit: hem superi! flauo puer exijt ore

Au-

Aurea cui toto corpore forma nitet,
E nato cognosco patrem, decet esse DEBILLI
Progeniem auratam, par sit vt illa patri.

AD MARMADVCVM ANGROMVM, *Theologum.*

AD te cùm modò litteras dedissem,
Haud longas nimis, aut laboriosas,
Sed quales calamo meo volanti
Extorsere suâ capacitate
Tempus, nunctius, occupationes,
Et pro nomine nominis notassem
Tres tantummodò litteras priores,
Tu me *Marmaduce* (vt pater leporum es
Disertissimus et facetiarum)
Trium dixti hominem esse litterarum;
At quòd tu nihil ipse reddidisti
Nec (quod nos habuit magis molestè)
Venisti, macerans tuos sodales,
Carolumq́, tuum tuumq; *Verum*,
Expectando auidissimis ocellis
Te, qui nullus ades tamen, nec à te
Quicquam (quæ tua culpa) litterarum;
Quamvis sis homo (quod fatemur omnes)
Omnium *mihi crede*, litterarum;
Quid precj mihi, si tamen probarem
Te nullarum hominem esse litterarum?

DE

DE COMA GLYCERES.

FLauia defuncta est, verùm non tota, superstes
Quippe coma in *Glyceres* vertice vivit adhuc.

DE COLLINO.

†SI quicquam indulget cuiquam *Collinus* amicum,
Quod tamen & rarus difficilisq; facit,
Cultellum, vel equum, vel ephippia, sive machæram,
Vel librum, vel, quod charius est, catulum:
Hæc quoq; solennis comitatur nænia munus
Hoc nulli, præter te, mihi crede darem.
Dicta dolosq; salax obseruat conjugis vxor
Ælia, nequitias docta puella satis:
Clamq; viro, extentis digitis in cornua, dicit
Hæc nulli, præter te, mihi crede darem.

IN BLATERANAM.

LInguaq; densq; suâ duros *Blateranæ* dolores
Mobilitate movent, dens tibi, lingua viro.
Vna vtriusq; potest pœnæ medicina mederi,
Faucibus extraheret si quis vtrumq; tibi.

DE MATHONE.

Nil

Nil nisi condimenta suis *Matho* ponit amicis,
Qualia nam quæris? optima: nempe Famē.

DE CAVSIDICO ET FAMULO.

Tēpore quo *Britones* suberant *Maria*, illa *Tyrānus*
Hesperia, *Latio* rursus & ille *Lupo*,
Ibat causidicus famulo comitatus ad vrbem
Qua viget Angliaci curia summa fori:
Fors illis *Frater* venit obvius, ordinis eius
Qui de *Francisci* nomine nomen habet:
Quem simul ac manibusq; crucē lumbisq; capistrū
Gestantem è longè servulus intuitur,
Hem! fuge sanus (ait) celeri & te crede veredo
Si qua tuæ tibi sit cura salutis, Here,
Carnificem en video *laqueumq́*, *crucemq́* paratam
Actum est de collo, si videt ille, tuo.

AD SCÆVOLAM S.

INsidiam numero qui dixit, *Scævola* primo,
Nullius hunc credo *Grammaticum* numeri.

IN GYLIPPVM.

Gylippus ille, quem videris oblongo
Volatiles mentirier grues collo,
Rubicundipesq́, & rufirostre cornicum

(Mea

(Mea queis redundat ora) vulgus incessu,
Vt per plateas obvias mihi occurrat
Aperit galero verticem prior nudum
Operitq; pectus, more quod salutandi
Recentiori fit: Deindè cervinam
Capitis columnam flexuosus obliquat,
Et ore vtrinq; paululùm retroducto,
Labijs plicatis blandiùs mihi arridet,
Tanquam sodali & intimo & peratiquo,
Cum quotamen ne verba tot prius feci,
Quot fertur absoluisse epistolam Cæsar.
Quòd si ex Aselli obviantis occursu,
Qui nutibusq; gestibusq; blanditus
Tanquam magistrum cognitum salutabat,
Melioris omen aleæ augurabatur
Captivus olim *Marius*; haud quidè frustra
Beatiores spondeam mihi soles,
Cui tam venustus contigit salutator.

In librum, furciferi cuiusdam
De Cruce adorandâ.

De Cruce, magnificos quid carpis, livide, libros?
Dignũ authore opus est, dignus & ille opere (est.

DE AROPE.

Fœnore torvus *Arops* oppressus & ære *Lucroni*

Bis senis *Rhenum* mensibus ebro bibit.
Mox redit, & veteres inter convictor amicos,
Nil præter *Tyberim Danubiumq;* crepat.
Iamq; *Pyrenæos* linguâ, jam transuolat *Alpes*,
Iamq; *Appenninum* devorat ore jugum:
Narrat quid lecto secum meditetur in ipso
*Borbonius*q; potens *Austriacus*q; sagax.
Tum *Budam Pragamq;* sonat magnumq; *Rudolphum*,
Et nomen didicit *Belgrada* fortè tuum.
Nec *Constantini* pollens *Amurathius* in vrbe,
Nec *SHAHA* bellipotens, *Persipolisq;* latet.
Hunc fecere novum *Lucroni* fœnora *Vlyssem*,
Si nil debuerat, nil dedicisset *Arops*.

DE PVSIONE.

INterrogavi *Pusionem* pumulum
Puerum protervum, scitulum, natum ad sales,
Vt cum morosâ matre convenit patri?
Ah bellule (inquit) *Cypriÿ* sunt turtures,
Simul ambo gaudent condolent ambo simul.
Foris eunte mutuùm gaudent patre,
Domum reverso mutuus redit dolor.
O Cypriorum comparum concordiam!

IN AVITVM.

CEntum formosas *Venerem* cùm pingeret vnam
Inspex-

Inſpexit *ſummus pictor* et vrget opus:
Vt centum pingat *Phœbos* totidemq; *Dianas*
Inſpiciat naſum ſolus, *Amice*, tuum.

De MORIANO.

NIl niſi bella crepat *Morianus* & arma duceſq;
Obſeſſaſq; vrbes Naumachiaſq; ſuas.
Iamq; cicatrices veteres, et vulnera nudat
Quæ pro pellicibus ebrius ipſe tulit.
Hoc ad *Vliſipolis* validiſſima mœnia ſenſit
Hanardo vertex ſub duce læſus, ait.
Hoc in fronte, *Drachum* comitatus bellipotentem
Ad portus cæpi *Sancta Dominga* tuos,
Dumq; ſuam *Vindicta* necem nece vindicat ipſa,
Sub duce *Granuille* hoc dextera vulnus habet.
Hoc lævæ divicta dedit ſummerſaq; claſſis,
Æternùm *Heſperiæ* dedecus atq; dolor,
Illud *Rhothomagi*, verùm hoc ad mœnia *Breſtæ*,
Deueraci adſcitus *Norriſioq*, duce.
Crus hoc *Hiſpanâ* transfirum claudicat haſtâ,
Cùm tibi ſe *Gades*, Magne dedere *Comes*.
Partem vnam *Moriane Domi* tibi *Gallia* læſit,
Cur non oſtentas vulnera et illa? Tacet.

In ſedifragum fidefragum.

PErfidiſſime perditiſſimorum,

Si quem ad ſupplicium graueſq; pœnas,
Victimam *Crucio Deo* immolandam
Sacram ob perfidiam vafraſq; tecnas
Vindices ſcelerum Dij repoſcunt;
Vindices ſcelerum Dij repoſcunt
Sacram ob perfidiam vafraſq; tecnas
Victimam *Crucio Deo* immolandum
Tete ad ſupplicium graueſq; pœnas
Perditiſſime perfidiſſimorum.

IN ONELLVM.

TE nunquã cœnare foris teſtabor, *Onelle*,
Quippè domi cœnas ſemper *Onelle* meæ.

In Pantolphum.

P*Antolphum* quoties turbâ de ſimplice quiſquã
Paucula cui debet paucula et illa rogat,
Siue duos faber aureolos, ſarctoruè ſelibram,
Siue coronatos pro ſtipe quinq; coquus,
Mìn' de tantillo malus obſtrepis, inquit, et iſtis
De tricis audes ſollicitare, ſcelus?
Tùm pugnis pedibuſq; probe demittit onuſtum,
Et quæ non debet prodigus æra locat.
Si quis chirographo tandem, vel pignere fretus
Creditor inſtabit de meliore notâ,
Condictoſq; dies, duplicato fœnere, lapſos

Obijciet varijs mista querela minis:
Tùm vel triticũ adhuc non vendidit, æra moratur
Villicus, aut alijs omnia soluit heri.
Nempè hoc est hodiè generosum soluere, verba
Pendere divitibus, verbera pauperibus.

DE BRYSONE.

MORDREDI caput oppidò stupendum,
Qui fertur radio decempedali
Cliuum intercilij fuisse mensus;
GAVVINI cranium, amphorâ cadoq;
Integroq; capacius medimno,
Et fauces GARAGANTVÆ, vetustas
Iam tandem sileat; caput BRYSONIS
Secli monstra prioris atq; nostri,
Atq; æui superat fidem futuri.
Auris dextera cuius à sinistrâ
Tantùm dissidet aure, nemo quantum
Vel binis equitaverit diebus:
Hæc ad mœnia quippe *Tronouantæ*
Illa ad *Exoniæ* sita est macella.
O infaudum iter aurium duarum!

SI benè qui latuit, vixit benè, nemo *Brysone*
His annis melius vixit in vrbe tribus:
Namq; domi ter-bis-senos latuit benè menses
Dum prodire foras, auribus absq;, pudet.

DE

DE BRVNIO.

AVdit iactari vulgò foliumq; *Sybillæ*
Se audire credit *Brunius*,
Vt cuiquam ingenij fuerit melioris acumen
Et flos et aura blandior,
Indomito sic posse minus pugnare *Lyæo*,
Citiusq; inebriarier,
Hinc vix libato cyatho persæpe secundo,
Simulat madere *Brunius*:
Præsumptaq; alios præuortitur ebrietate,
Ne cæteri præoccupent.
Sic alijs ille ingenium furatur, at illi
Furantur alij *Liberum*.

In Quendam.

QVòd trahis antiquam *Romanâ* ab origine stirpē
Et *Curios* jactas *Scipiadumq;* genus;
Credo ego: nam qui te *Verrem* genuere parentes
Brutus erat genitor *Procia* mater erat.

In Silonem.

QVatuor ætatum tres vno in corpore *Silo*
Solus habes, verè tu *Microcosmus* eris.
Aurea Phœbeo radiant tibi *secula Naso*,
Ænea perfrictâ tempora fronte geris.
Ferrea furaces cohibent nunc secula suras,

(Iupiter hæc faxit sint tibi secla diu.)
Vna deest ætas, *Argentea* scilicet, illam
Exhausit loculis *Liber* et alma *Venus*.

DE BITONE.

EXoptat mortem *Biton* cõjugis, illa mariti,
Funereamq; thoris sperat vterq; facem.
Pro quibus *Arno* Iovẽ votis rogat omnibus
Vt voti cuadat cõpos vterq; sui. (hæc

IN ACERRAM.

INgenio pestem cit perniciemq; *Tabaccho*;
Ne metuas, non te lædet, *Acerra*; cape.

MARILLA *accepto nunctio, sed falso, de interitu mariti, deliquio animi correpta vix tandẽ ad se rediit.*

TEntatura piæ virtutem fama MARILLAE
Ad *Pluves* charum nunctiat isse virum.
Ergò secuta suos anima illicò amãtis amore
Aduolat *Elysias* irrequieta domus:
Nec mirata polos epulasuè morata Deorum,
Ipsa suum exquirit sedula vbiq; Deum,
Verum vbi verba sibi data senserat, astra Iouemq
Liquit, et ad terras officiosa redit.
Multæ pro fidis cælum petiere maritis,

Li

Linquere quæ potuit ſola Marilla fuit.

IN LYCVM.

CEruiſiæ ſenio caſcu ñ pejoris acetum,
Et conclamati mortua vappa cadi,
Quæq́; tubo miſeris diſtillat lachryma guttis,
Quæq; tuæ renuant pocula tetra ſues;
Hæc *Lyce* ſunt, nobis tua quæ Chriſtallina promunt
Scilicet à Venetis vſq; petita focis.
Non genuina tamen Chriſtallina credo; venenis
Fracta forent iſtis ſi genuina forent.

DE SALIO.

EXtulit vxorem *Salius*, nec longa moratus,
Ancillam Dominæ juſſit obire vicem.
Favit Hymẽ blãdo ſpes vltra & vota marito,
Crediderat famulam ducere, duxit herã.

DE ARDELIONE.

NOn *Augur* volucres, fibras non novit *Haruſ-*
Nõ *Druides* ſtellas *Gymnoſophiſta* polos, (pex
Ardelio vt *Pictas* (namq́; hæc ſua *Biblia*) *Chartas*,
Hæc ſua relligio hæc myſtica ſacra colit.
Ad nutum ſaliunt, digiti crepitumq; ſequuntur
Cum *Cuculis Reges*, cum *ſocijſq; toris*.

Selege quam cupias, ineat selecta fauillas,
Ipsa sinu exiliet mox rediuiua tuo.
Nec tantùm quam voce loquax, verbisq; requiris,
Sed veniet tacita quam tibi mente vocas.
Non modò quid dicas coram *Ardelione* cavedum est,
Verùm et secreto quid tibi corde taces.

IN GALLAM.

CVm te relinquit *Phœbus* in lecto occidens,
Orienſq; lecto repperit,
Medijq; cursus mox labore exæstuans
Lecto exeuntem vix videt;
Haud ille frustra (Galla) sit, qui fœminam
Te dixerit lectissimam.

In Pumilionem qui vetulæ grandiuſculæ nupserat.

MAgnũ aliquid supraq; istas audacule vires
Aggrederis, vetulæ nubere *Pasiphaæ*;
Quid si te, tanquã Pedicillum internecet
In tumulũ frõtis sat tibi ruga foret. (vngues

In artificioſissimas mercimonias.

ÆMula Naturæ secli sollertia nostri
Quas non ad census inuenit vsq; vias?

Ec

Ecquid magna Parens ausa est effingere, quod non
Ausa mentiri est dædala nostra manus?
Caluus emit crines, formosos fuscula vultus,
Inq; toro claudus quærit habetq; pedes.
Quin anus emptitijs corrodit dentibus offas,
Aurem, oculum, nasum, datq; Apotheca manu.
Si natos cupias, nec quo generentur habebis,
Hoc quoq;, si numeres, institor *Ollo* dabit.
Vndè autem linguam coemas tibi nescio, nempè
Effugit hæc nostras fabrica sola manus,
Causidicos nisi forte petas, turbamq; forensem,
Venales linguas gentem eam habere ferunt.

DE BITONE.

TEr decies quovis *Bito* mense inuitat amicos,
Vix conuiuarum est vnica mensa capax.
Prodigus est, inquis? imò nil parcius: hospes
Humphredi poteris pinguior esse ducis.
Sola gravant steriles preciosa toreumata mensas
Eq̀uè auro creber, qui sitit, ipse calix.
Cælati q; scyphi atq; argentea pocula, quorum
In fundo sitiens stat cataphractus eques.
Vnde oculis saturis, vacuo sed ventre redibis,
Nec tibi cæna datur, sed preciosa fames.

IN CALVVM.

QVantumuis aliquid fatuo videare popello
Non ego te vnius æstimo, *Calue*, pili:

In Ambitiosum.

QVid regnis sceptrisq; inhias, tituloſq; capeſcis
Et tumos captas Ambitioſe leues?
Regna domi tibi sunt præſtò, non cernis? apud te:
I e rege, sic rex, sic induperator eris.
Quò fasces populis, quò grandia nomina, Reges,
Si modò Rex vellet quilibet esse sui?

De Scraptia.

FEbre laborabat feſſæ mala sarcina terræ
Scraptia, spesq; super nulla salutis erat.
Fastidit medicos, ridetq; Machaonas omnes,
Quos parvo vt jugulent, cogere nemo potest.
Tantum vicinæ consultum blæsula sagæ
Murmura, stat natum mittere *Gurgonidem*.
Mittit; abit, properat, sagam disquirit, at illam
Nudius hinc quartus plebs obijsse refert.
Mox redit, et matri cupidè responsa moranti
Esto animo, dixit, omnia fausta, bono.
Cui mater; quantum recolis da temporis horam
Quâ tecum mulier, Nate, locuta fuit.
Illa refert, decimam; tum *Scraptia*, Pol mihi jam tum
Ipse paroxismus cedere visus erat.

IN

IN GELLAM.

CEcussata tibi facies est causa pudoris,
Dum metuis frontem *Gella* fricare tuam.

De Scauro et Bruniano.

S*Cauri* macheram *Bruniani* præstinans,
Quid (inqnit) istâ pro macherâ soluero
Horâ inb ipsâ quâ maritam duxero?
Cui *Brunianus*, Aureolos dabis decem
Aut nuptiarum luce primâ, aut funeris:
Scaurus recusat, funeris diem abnegat,
Hìc ergò dissitũ est, quibus vxorius *Afer*
Se proxinetam interferens et arbitrum,
Quin conuenitis (inquit) ego pol censeo
Horam esse eandem nuptiarũ ac funeris.

Ad Versificem.

SI benè stare tui nequeant, aut currere versus,
Mitte in aquã, et videas an bene nare queant.

Ad TRVELLIVM.

OMnia sunt semper tua somnia vera Truelli,
Sola tibi siquidem *cornea* porta patet.

DE

De Crumenâ meâ.

CRedo equidē gallū noſtrâ latitare crumenâ;
Sēper ab hâc fugiūt pauid, iet dāt terga Leones.

De Ruffo et Dominâ.

RVffus heram famulus meretricē dicit, At illa
Do veniam, hæc recitas ebrius, inquit, abi.
Pol ſatis humanè factum! neq; neſcijt illud,
In medio verum ſæpiùs eſſe mero.

De Comitate.

QVantos quantilli cumulos emit ille fauoris,
Cujus munifica eſt pilea, lingua, genu!

Ad Ambrosivm Stephanivm.

OPportuna mihi tua venit Epiſtola certè;
Cras ego Clyſteren ſumere namq; paro.

AD EVNDEM.

NOmen ab Ambroſiâ tibi qui Stephani indidit,
Te bolum Stygio cenſuit eſſe Ioui. (ille

IN STEPHANIVM.

Obijcis

OBijcis assiduam, Stephani, mihi sæpè palestrã;
Accubuam obijcio sed tibi jure tuam.

IN BECVM.

PRocuratores ne te deprendere possint
Post nasum poteris *Bece* latere tuum.

Ad Candidum, de Aldo.

SI quos, vt soleat, meos libellos
Noster, *Candide*, mutuatur *Aldus*,
Partem deputat hos sui peculi,
Et suos numerat, suasq; fronti
Inscribit calamo notas venustus;
Ex dono CAROLI sui sodalis.
Idem cùm me hodie duos rogaret
Aureos sibi mutuos, negaui:
Causam *Candide* quæris? ha! verebar
Ne illis forsan inurat, vt libellis,
EX DONO CAROLI sui sodalis.

DE ANTIO.

BIni, quos alit educatq;, nati
Et suos vocat *Antius* putatq;
An sui dubijne sint notiue
Vulgus hæsitat, inficit *Sabellus*.

Verùm

Verùm tandem ego providu scienſq;
Novi quâ ratione cail diſq;
Signis, jnditijs quibus, notiſq;
Suos eſſe ſatis probet popello,
Vt nec inficias eat Sabellus:
Suis nempe meus libris quod *Alaus*
Natis *Antæus* hoc ſuis inurat
Ex dono Cranij ſui ſodalis.

Ad EDOARDVM MYCHELBORNVM.

DIſcedens tibi quòd tuus poeta
Non dixit ſolitum Vale, manumq;
Teſſeram fidei bonæ iugavit,
Ignoſcas petit, *Edoarde*, ſic qui
Diſcedens dare tum Vale nequibat,
Mox Salue citiùs dabit reverſus.

IN BRITANNIAM,
Doct. Viri GVLIELMI CAMBDENI.

QVas mihi relliquias *Danaum* delira vetuſtas
Obijcis, aut *Troiæ* mœnia celſa *novæ*?
Quem *Brutum* *Albionis* fingis *Galfrede* parentem
Moribus ô verè nomina nata tuis.
CAMDENVS toto diviſos orbe *Britannos*
Toti orbi primus reddidit ingenio.

Imò

Imò etiam toto diviſit ab orbe *Britannos*
Contiguos Superis quos facit, atq; polis.

Ad RICHARDVM CARPENTERUM.

ANtiſtes veterum ſumme ſodalium
O & prima mihi cura recentium,
Carpentere, lepos ſalq; hominis, mihi
Si tecum liceat per mea fata, per
Averſa (heu!) nimiùm Numina vivere,
Totq; haurire tuas aure facetias,
Et pigros ſalibus præcipitare, tùm
Garritu remoras iniicere impigris
Phœbis; Herclè equidē non ego tūc velim
Luſus *Mercurij* aut nequitias mihi,
Non voces *Charitum* aut verba *Cupidinum*,
Non omnes lepidi lautitias Poli,
Hoc vnum (fateor) iurè meo tuo
VERO (dicere fas) invideo boni:
Quin & ipſe moves invidiam mihi,
Quòd ſemper liceat te tibi perfrui.

Ad Ventos & Flumina,
Pro adventu VERI mei.

ÆOlij proceres, ſuboles animoſa *Typhœi*
Tuq; etiam *Aſtræo* gens genitore ſata,
Aëris ô medici, quorū eſt prohibere veternō

Om-

Omnia complentem, ſemper agendo Deum?
Voſq; ô vicinos auſi facere imperum in agros
Subſidijs pluuij *Veionis* aucta cohors,
Hoſtileſq; lacus inimicaq; flumina, quid vos
Redditis infeſtas in mea vota vias?
Neuè oppugnato curarum ingente phalange
Occurrat VERVS ſuppetias animo,
Quid vos ô pluuiæ Fluuijq;, immanibus iris,
Cingitis aduerſas obſidione vias?
Quid vobis ſocios animo, eſt diſjunctio amanteis?
Quantulus, è noſtrâ cæde, triumphus erit?
At precibus ſaltèm, quos non eſt vincere telis,
Ponite jam victi flabra animoſa *Noti*.
Curarũ hôc profugos ſpargat fuga corde maniplos,
Et mea me VERVS viſat amabilitas.
Si fors deſtatuatur equo aut vectore veredo,
Huc *Zephyre* ô, *Xanthum* fer, *Balumq*, tuum.
Illo non illis erit aptior vllus equiſo,
Me tibi non vivet gratior vllus homo.

In Lycum Sacrificum.

SAcra legis qui ſacra facis, cur diceris ergò
Tantùm ſacrificus, non (Lyce) ſacrilegus?

In Baldum.

QVòd ſenior plures triuiſti inglorius annos,
Me

Me tibi vis nudo surgere caluitio.
Hâc ratione, tuo surgam quoq; Balde caballo,
Hordea cui tricies horna dedere cibos.

AD AVLVM.

MOntis in excelso *Michaelis* vertice natum,
Quis te humili natum censeat Aule, loco?

AD ALDVM.

OBscuro quicunq; loco te dixerit ortum,
Errat, in apricis natus es, Alde, jugis.

IN QVENDAM.

NAre ruber, rufo suras indutus amictu,
Vngue rapax, nostrũ pyrrhocoraca refers.

Ad Virum Doctissum:
THEODORAM BEZAM.

CAnities veneranda, superciliumq; verendũ,
Dulce tamen, *Pericli* quale fuisse rear:
Cælestes Rugæ (si fas modò dicere Rugas)
Quas duxit læui pumice in ore *Charis*:
Fas mihi vos nostris gemmas intexere chartis,
Quas magis aureolo *Phœbus* in orbe ferat.

Sancte

Sancte Senex, Vtibi vivas orbiq; precamur,
Dùm successorem dent tibi fata parem.
Quæ mea vota Deum si sint habitura faventem,
BEZA, hominum extremus qui morientur, eris.

Ad Virum Doctissimum.
IOSEPHVM SCALIGERVM.

SEmideum genus, ô, &, quod genere altius omni
Cæsarea ô soboles, *SCALIGER*, orte Dijs.
Aut nihilo, aut tantũ minor hôc, patre *Cæsare*, quòd
Scaligerum terris, ceu dedit ille, dares: (non
Numina cùm prolem tibi, jam defessa creando,
Dent nullam, quoniam non potuere parem.
Tu, ne *SCALIGERVM* gens tota periret, adoptas
In quibus ætatem iam superesse potes.
Totq; vmbras veterum tenebris & nocte sepultas
Tu vitæ, ingenij Numine, restituis.
Maior adoptivis, alij quàm corpore-natis!
Ecquem turba vocat tam numerosa patrem?

Ad Amplissimum Virum
HENRICVM RANZOVIVM.

PErvagà virtutis, lateq; volubilis aura est,
Atq; sui vacuum non sinit esse sinum.
Ranzovium quæ nunc tellus, quis nesciat axis
Ni *Phœbum* & socias nesciat ille *Deas*?

Nos

Nos quoq:, diuiſi toto licèt orbe *Britanni*,
Haud diviſa tuo nomine turba ſumus.
Inſeruit totus tibi jurè poeticus orbis,
Te ſine, ſi qua fluit vena, inamæna fluit:
Nulla venit *Phabo*, nulla aut placitura *Camenis*
Quæ non *Ranzovij* pagina nomen habet.
O benè ſeruatum, Muſis quodcunq; repoſtum eſt?
Qui peritura dabit, non peritura feret,

Ad Virum Clariſſum IANVM DOVZAM.

QVantùm IANE tuo viuat modò *Phabus* in ære
Et quantum ſociæ, nomina ſacra, *Deæ*;
Ingenuè teſtantur, et id ſi fortè negarent,
Conſcia teſtentur Dijq; hominesq; cohors.
Proq; tuo ære tibi DOVZA, ære perennius omni
Pignus habes, laudes, et ſine morte, decus.
Tu modò ſis facilis, nec quantum jurè repoſcas.
A non-ſoluendo dure repoſce choro.
Nam tibi quod debent ſi Muſæ et Apollo reponet,
Vix ſibi, quo ſeſe poſſit tueantur, erit.

Ad ALBERICVM ET SCIPIONEM *GENTILES fratres doctiſſimos.*

FOrs etiam hoc (*Albrice* ſacræ pretioſa *Themiſtos*
Gemma) tui irradies lumine ſolis opus.

Fors etiam (quod vix ausim sperare) tenebunt
Ludicra nostra tuæ, SCIPIO culte, manus:
Contigerit fors vtra, virum me jure putabo,
Vtraq; contigerit, penè putabo Deum.
At bene diversis statuit vos Iupiter oris,
Quippe vni cælo sol satis vnus erit.

Ad PAVLVM MELISSVM
Poetam Optimum Maximum.

FRigus erat, tremulosq; gelu concusserat artus,
Admoui tepido frigida membra foco.
En tua, dextra tenet, *Schedia*sma*ta* (Maxime vatũ)
O *Tripode*, aut summi vertice nata *Iouis!*
Hic subitò è manibus liber excidit, excipit ignis:
Illæsus mediâ substitit ille pyra:
Miranti, *Phabus*; Quid librum, ait, ignis in illum,
Quem totum *Clariâ* Musa rigavit *aquâ*?

In eiusdem opera Poetica.

GEmmas quærere, sêd nitentiores
In gazis volui mei MELISSI,
Nectar sugere, sed suauiusq;
E favis volui mei MELISSI,
Flores carpere sed venustiores
Ex hortis volui mei MELISSI,
Leporesq;, sed elegantiores.

E scriptis volui mei MELISSI:
Sed dum sedulus hinc et indè lustror,
Lustrans colligo, colligens reduco
Vnum in faciſculum, è meo MELISSO
Gemmas, nectara, floſculos, lepores,
En nouus mihi naſcitur MELISSVS
Et duos habeo integros MELISSOS
Excuſum alterum et alterum notatum:
Nunc panè video meum MELISSVM
(Quantus, quantus is eſt) mihi eſſe totum
Gemmas nectara, floſculos, Lepores.

In Manes Catullianos
IVLII CÆSARIS SCALIGERI.

MIrabar lepidi manes vmbraſq; *Poetæ*,
Quo *Verona* ſuo vate triumphat ouans,
Doctius et quiddam diuinius eſſe locutas,
Quàm quæ cõpoſuit carmine viuus adhuc.
Nunc ſcio; mortalis in terris ſcripſerat illa,
Elyſijs cecinit Diuus at iſta jugis.

Columba Poetica
FREDERICI TAVBNANNI.

QVæ *Veneris* nuper fueramus cura *Columbæ*,
Nunc ſumus in *Phœbi Phœbiadumq;* fide.
Sed neq; de curâ quicquã *Cytherea* remittit

Æmula quin *Phœbi* nos magis vsq; colit.
Hoc tibi debemus, *Francoæ* gloria gentis,
Concolor ô nostræ die *Poeta* nivi.
Cedite cornices nobis, longæuaq: Phœnix,
Et sua siqua alias secula jactat auis:
Vt candore priùs, sic nunc superamus et annis,
Quippe immortalis jam chorus, ecce, sumus.
Gratia par; *Illi* nomenq nivemq; dabamus,
Is Phœbum et nobis secula longa dedit.

Ad Cupidinem
De IANI LERNVTII *Ocellis*

PVpe luscule pætulæ *Dione*
Quid te vis luminis orbitas molestè
Habet, quid dolet vis carere ocellis?
En collyria jam tibi parata,
En ipsi tibi jam parati ocelli;
IERNVTI tibi habe nouos Ocellos,
LERNVTI inquam oculissimos ocellos
I. ERNVTI Charitum, tuiq; ocellis
Vt *Phœbum* modò provocare possis
Totius jubar orbis atq; ocellum,
Pupe luscule pætulæ *Dione*!

De duobus SECVNDIS *Poetis clariss.*
IOANNE HAGIENSI et PETRO LOTICHIO.

Tota

Tota *Gracia* non duos *Homeros*
Non totum *Latium* duos *Maronas*:
At *Germania* prodiga vſq; vatum
Terris vna duos dedit SECVNDOS
Tales vna dedit duos SECVNDOS,
Vt vix *Græcia* tota ſi rediret,
Vix totum *Latium* prius recenſuè,
Ni fors reſtituat ſuum illa *Homerum*,
Ni fors reddiderit ſuum hoc *Maronem*
Terris pòſt poterit puto priorem
Duobus dare tertium SECVNDIS.

Ad IACOBVM VLVGGIVM *Belgam Poetam: In ſuos ſacros Hymnos.*

HÆc ſacro IACOBE die tibi luſimus, vt quæ
Sacra canis, ritu conveniente canam:
Ludere cum ſanctis nó eſt, ſed ludere ſancta,
Crediderim hoc teſtos eſſe ſacrare dies.
Fas ſacra mihi (credo) die celebrare, canentem
Digna die ſacro carmina, digna viro.

Ad IACOBVM CRVLLIVM, *Germanũ:*

ARma tuæ referunt, *Crulli*, gentilia gentis
Serpens et *geminis Anchora* cincta roſis,
Anchora ſerpentis flexo circundatur orbe

Altera *Candidula* est altera *rubra rosa est.*
Anchora quid? *Christus*; quid *Serpens*? *Liuor*; At illa
Quid *rosa* rubra? *Fides*; *Alba* quid illa? *Salus.*
Quid metuis mundi fluctus? est *Anchora Christus*,
Illi fixa *fides*, hinc tibi certa *salus.*

De Serpente Anchoram mordente.

ANchoreum serpēs dum ferrū dēte remordet,
Franguntur dentes, anchora firma manet:
Sic alios rabido dūm perdere cogitat æstu
Iuuidus a rabie læditur ipse suâ.

In symbolum ipsius,
ANCHORA salutis meæ Christus.

DVm mundi varijs jactantur vela procellis,
Anchora firma meæ *Christe* salutis eris.
Euge *Satan*: intende *Notos*, pelagiq; furores,
Nil motor; hic *sacra* est *Anchora*, salua ratis.

De IOANNE MOLLERO
Germano-Thuringo,

Alatronibus per ementitæ ebrietatis sycophantias, pecuniis omnibus vafre emunctis.

Auri

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora! diuinus dixerat ille *Maro.*
Auri sacra sitis quid non mortalia cogis
Pectora! sic potius diceret ille *Maro.*
Namq; tuum rapiunt aurum (*Mollere*) *bibaces*;
Dic mihi, sacra *fames* hæc fiet; anne *sitis*?
Pocula *Carnificis* sed sumat dira, precabor,
Siue erat illa fames, siue erat illa sitis.

QVi simulando sitim rapuit tibi (*Mollere*) numos
Tantaleam verè perferat ille *sitim.*

CVr syllabam penultimam
Nunc tendit et nunc corripit
MORLERVS, ô Lector, rogas?
Quòd MOLLERVS communis est.
Communis et cur sit rogas?
Attende dicam: longulum
Natura MOLLERVM facit;
Sed ecce latro corripit
Pecuniam dùm surripit:
At quisquis ex longo brevem
Sic fecit, è breui precor
Vt ipse fiat longior;
Longamq; faciat literam.

Ad IOANNEM MOLLERVM

Cùm tibi fures rapuere nummos
Ingeni cur non rapuere dotes,
Vilius cùm sit leviusq; mentis
Dotibus aurum!
Scilicet mentis nihili latrones
Æstimant merces, neq; dia furto
Tollitur virtus homini, neq; ipso
Vulnere fati.
Ergò qui terras petis hinc remotas
Has feras tecum, *Peregrine*, gazas
Quas tibi furtum nequeat, neque ipsum
Tollere fatum.

Eidem discedenti
Propemptikon.

Hà malè! cõiunctos animo disiunget amicos
Corpore, longinquis dissita terra plagis?
Tot mihi terrarum parasangis distrahar ipse,
Meq; tot eripient flumina, rura, mihi?
Et varijs degam pariter regionibus vnus,
Angligenâq; simul, *Teutonicâq;* simul.
Ah fiet! siquidem corpus tenet *Albion* excors,
Cor cum *MOLLERO Teutonis* ora meo.
Iamq; sinus *MOLLERE* tuus mea corda reportat
In quos hoc corpus non queat ire, sinus.
Prædo animi *MOLLERE* mei, fur callide cordis,
Fare agedum quà nam me clepis arte mihi?

Iusta

Iusta peto; deprense, mihi uel redde meum cor,
Aut cum corde meo me quoq; prædo rape.

De Pollente.

PAntavorum *Pollens* hæredem ex asse reliquit,
Credidit *affinem*, sed fuit ille *nepos*.

In Athaum.

Vt semper iures numquam periurus, *Athæe*,
At tibi nemo tamen curat habere fidem:
Nam quamvis iurando Deum cœlumq; fatiges,
Te iurare tamen credis, *Athæe*, nihil.

De Mallio.

Ius Equitis Divâ petijt à Principe nuper,
Assuetus semper Mallius ire pedes.

Ad Amicos Oxonienses.

VERE ô mi Coryphęe amiculorum,
ROVSÆI gemini pares gemelli,
Stricte & lacte alti piæ *Thaliæ*,
Tuq; ô *MORE* pater ioci salisq;,
Prædulcis chorus *Æneiq; Nasi*
Cycni pectora molliora plumâ

O Vernone Phillippidesq, chare,
Charior mihi pectoris medullâ,
Volq; ô corda nivis colore tincta,
O *Rashlee*, *Bohune*, tuq; *Trefri*,
Dùm vos in mediâ iocos *Calenâ*
Dum risus venereſq; captitatis,
Ille *Fitzgeofridus* ille veſter
Nonnunquam lepidiſſimus ſodalis,
Quocum ludere, plaudere, & iocari,
Ridere & bibere, & comeſſe ſueſtis,
Tabeſcit miſero improboq; morbo,
Expectans properata quando Parca
Vitæ ſtamîna diſſecet caducæ.
At quos percoluit, pij ſodales,
Apud vos cupit arrabonem amoris
Sui linquere, quàm prius recedat:
En ipſam hanc animam polos petentem,
Veſtrûm dividuam cuiq; tradit.
At negant ſtreperi patres *Lycæi*
In vllas animam poteſſe partes
Dividi, ſolidamq; & integellam:
Ergò vt diditur integros in artus
Toto corpore tota dum vigeſcit,
Sic totam hanc animam fidelem, amicam,
Vnuſquiſq; ſodalium capeſſat,
Ad quos evolat impotens morari,
Polis poſthabitis; poli & planetis,
Puriq; ætheris orbibus beatis,

Vos Poli mihi, vos poli planetæ,
Vos orbes mihi & ætheris beati.

Ad EVSTATHIVM MORVM *Theol.*

EVstathi, sincerus amor, quem gestito chari
Pectoris in penito, pondera grata, sinu;
Ecquid Fama tradux ad vestras detulit aureis
Vt furit immitis in mea membra lues?
Si non audieras, versus age consule nostros;
Quàm verè Dominum languida Musa refert!
Ossibus ille suas absumpsit, & illa, medullas;
Ille suis pedibus languet, & illa suis:
Credo equidē omnivoræ *Stygis* isset vterq; sub vm-(bras
Si tuus ad vitam non revocasset amor.

Ad EDOARDVM MYCHELBORNVM.

DVm calidus sano spirabat corpore sanguis,
Dumq; etiam vegeto pectore firmus eram;
Abstinui metuiq; tibi dare carmina, turbem
Vppupa ne cantus ô Philomela tuos.
Nunc tibi, cum Domino morituras tradere nugas
Audeo, cùm mediâ puppe *Charontis* agor.
Sic vbi fata vocant *Thamisis* qui mutus ad vndas
Vixerat, en moriens carmina fundit Olor.
O mea cycnæo referant modulamina cantus,
Doctaq; vel moriens carmina Musa canat.

Sæpius

Sæpius *Orcinæ* me iuverit isse sub vmbras
Sæpius vt laudes concinerem ore tuas.

AD IOANNEM SPRINTAM.

Cynthia iam nono cava cornua suscitat orbe
Dum liquidum bijugis aëra tranat equis,
Tempore quo *Clariâ* petijrus vrbe relictâ,
Longa *Coronæi* quà iacet ora ducis.
Miraris longos abitus tardosq; recessus,
Thespiadum fili *SPRINTA*, *Iociq*, parens?
Me gravis adfligit longo cruciamine morbus
Quiq; *Machaonia* rideat artis opem:
At tu pro chari mi *Sprinta* salute sodalis,
Mille locos, *Phœbo* carmina mille lites.

Ad Amicum.

Sic tibi longam *Dea* det salutem,
Præses incertæ *Deæ* sanitatis,
Sic tuos longùm vegeto vigore
Sospitet artus;
Vt meo morbo pius ingemiscis,
Totus in luctum resolutus, atq;
Pro meæ placas precibus, salutis
Munere *Phœbum*.
Vt paroxismos aliquos dolorum
Subtrahas (vnâ patiendo) nobis

Et

tuos miſcens gemitus amici
Luctibus addas.
ic duint longam tibi Dj ſalutem,
ic graues numquàm miſeè dolores
entias, qui me malè iam ſecundo
Menſe moleſtant.

Ad Amicos Cantabrig.

AVdebo anſer oloribus canoris
Raucus obſtrepere? improbiſq; nugis
Furari licet horulam legendis?
Audebo triviali ineptuloq;
Et quod rus redolet ſat inficetum
Quo natum, miſerùm furente morbo,
Aures carmine lancinare veſtras?
Hoc ſi fors liceat, peregrinanti
Quæ veſtri hoſpitium ſinus requirit
Præbete hoſpitium ſinu camænæ,
O chariſſima turba amiculorum
Quos vrbs mollibus implicat lacertis
Numquam condita *Cantabro abs Ibero*
Sed teſtudine ſtructa *Apollinari*
O *Bentone*, *Flamanche*, & ô *Duvande*
Et *Bridgmanne* caput fidele amico:
Quàm verè Dominum refert Camæna!
Siccus corpore ſuccus vtriuſq;
Siccus corpore ſanguis vtriuſq;

Infirmi

Infirmi titubant pedes vtriq;:
Si veſtro tamen in ſinu fovetis
Forſan reſpiciet Salus vtrumq;:
Sic *paſſer* propè mortuus, calenti
Fouit *Leſbia* dum ſinu, revixit.

Hominis ortus & obitus.

VIx totus nobis in partum ſufficit annus,
Vna ſed in mortem ſufficit hora brevis.

Dicebam ægrotus, *Moriar*; ſubitò ecce revixi;
Et ſanus, *Vivam*; mortuus ecce cado.
O dubias hominum mentes cæcaſq; futuri!
O quantum furuæ pectora noctis habent!
Cùm vita incerta eſt, cum mors certiſſima, certò
Nec, *vivam* poſſum dicere, nec *moriar*.

De Parca.

VAna refert vulgus non vlli parcere *Parcam*;
Parcit, & æquales non habet illa manus.
Inſipidis *Pyliam* donat plerumq; ſenectam,
Ingenuis primos vix ſinit ire dies.

Somnium Vita.

RectÈ vetuſti ſomnium vitam vocant:
Moribundus ipſe ſomniat vitam ſibi.

Ad GEORGIVM SVMMASTERVM, Aulæ Lateportensis Primarium dignissimum.

INtegerrime Præfidum GEORGI,
Quot novensilium domus Dearum,
Phœboq; hospita, Vatibusq; semper
Aula, cui titulum patentiores
(Sed per Antiphrasin) dedere Portæ,
Olim viderat, aut videbit olim;
Vosq; ô, sancte Geni, & sacri Penates
Tutelare decus loci, & patroni,
Adeste atq; humili favete Musæ.
En vestri quotacunq; cultioris
Pars sodalitij nec improbanda
Sed nec dedecori futura prorsus,
Ille FITZGEOFRIDVS ille vester,
Quem vos non-nihili æstimare suestis,
Vobis scilicet Orbi & vniverso
Datis publicitùs palàm tabellis
Testatum cupit, & libens fatetur
(Haud gratæ tamen absq; mentis aurâ)
Quantus quantulus est (sit ipse si quis)
Aut quantum fore pollicentur anni
Futuri meliora fòrs daturi,
Totum post Deum & optumos parẽtes
HARVÆVMq; sibi alterum parentem,

Se

Se acceptum meritò referre vobis.
Vos me adhuc tenerum rudemq; alūnum
Et charo patre deſtitutum, et illo
(Qui deſyderium patris ſupreſtes
Alleuaret) auunculo MOHVNO,
(E heu vulnera bina telo ab vno!)
Cū primùm ferulæ manū HARVIANAE
Iam ſubduximus haud ephæbi, at annos
Iuſtris addidimus duos duobus;
Excepiſtis, et in ſinu fouentes
Gratum Iupiter! otijq; plenum
Septenne hoſpitiumq; præbuiſtis.
Vobis ſcilicet educationem,
Vobis inſimul eruditionem
Illa quantulacumq; ſit, vel illa
Acceptam fero, debeoq; vobis
Et illam (fateor lubens) & illam.
Quibus pro meritiſq; præmijſq;
Quod vnum potui, potiſſimum et vnum;
Vos ſem per colui colamq; ſemper,
Et gratâ recolam ſubinde mente;
Quamuis diſſitus vltimis ſub oris
Rhenū combibo *Sequanamne Tybrimve*
Aut quò me mea cunq; mox feret ſors
Vos mecum memori feram vſq; corde.
Sed nec, Vos etiam ô Dij Penates
Prorſus immemores reor viciſſim
Et veſtri fore Vatis atq; alumni;

Si

Si non immemor ille alumnus et ſi
Non planè male-gratus ille Vates.
Sed cum veſtra dehinc tenore longo
Ornamenta domus, et Aulæ & Vrbis,
Nullo nomina non canenda ſæclo
Percenſebitis; inclutum IVELLVM
TVRNERVMq; diſertum et eruditũ,
(Ingratam licet impiamq; prolem)
GRANVILLVM indè, MOYLIVM, & CARAEVM
NELDERVMq; TREFVSIVMq; veſtrum,
Fors cenſebitur vnus inter illos
Extremum licet infimumq; ſaltem
Dignus FITZGEOFRIDVS eſſe nomen.
Sic ſemper vigeatq; floreatq;
Vt ſemper vaguitq; floruitq;
Veſtris numinibus Geni & Penates
Aularum optuma, tuq; præſes Aulæ
Integerime præſidum GEORGI.

Ad Lectores

GAudete atq; animos bonos habete,
Quotquot per maris æquor æſtuoſi,
Per ſyrtes, breuia, et vagas arenas,
Per Scyllas, auidaſq; per Caryddes,
Per quæcunq; anus *Amphitrite* in aluũ
Monſtra abdomine alit capaciore
Mecum parva tulit carina, *Nauta*

Gaudere atq; animos bonos habete,
Et summum feriat celeuma cœlum:
En oram video, vagam ecce longi
Exancla vimus aream profundi.
Quàm sæpè heu! scopulos levis phaselus
Hæsit barbariei ad æstuosos?
Quàm sæpè heu! propè fecimus dolendũ
Bonæ naufragium Latinitatis?
Atq; hæc omnia & ægriora, Nautæ
Insanum tulimus genus, reversi
Vt merces nimium malas feramus,
Nugas, affamas, ineptiasq;
Et quid quæso aliud ferunt ab *Indis*
(Qui *Gangemq;* petunt, *Platamq;*) vtrisq;,
Ni fòrs circopithecon, aut catellum,
Psittacumq;, cuniculumq; rarum,
Simiamq; sibi parem vsq; ad vnguem,
Lusus, delicias, ineptiasq;
Insanæ Dominæ aut levis puelli,
Quibus maxima nunc placere merx est.

THOMA MYCHELBORNE.

A te principium, tibi desinet, vltimus esse
Nil est quòd renuas, qui mihi primus eras.

FINIS.

CENOTAPHIA.

A

CAROLO FITZGEOFRIDO

Posita & sacrata

D. M. & piæ Memoriæ

nonnullorum.

Quos nunc emerita permensos tempora vitæ
Secretis simus orbis habet mundus q; piorum.

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius. 1661.

Piæ & dilectæ Animulæ
ERRICI BANDI desyderatiss.
amiculi, CENOTAPHIA
mea.

De Dico Destino.

Albo Deorum, & Cælicolûm choro
Adscripta, terrarum, & fatui soli
Pertæsa, quicquid & dolente
Solem oculo pudet intueri;
Olim-mei ô sacrata anima Errici,
At nunc Dei, nunc & patrij Poli,
Quæ sola restas vna Bandi
Portio, sed potior, superstes;
Tete, ecce, quantum per lachrymas licet,
Quantum per ægri cordis anhelitus,
Non alloquendum hìc nomen, æger
Alloquor, & lachrymans saluto.
Haue peremne, atq; (heu!) Carolo tuo
Vale perennè, atq; has tibi nænias
Habe perennes, si peremne
Quid fuerit Caroli futurum:
Sperato lector carminibus meis,
Non sic legende in carminibus meis,
Lugende semper, & legende
Si mea semper erunt legenda.

Quicquid futurum eſt, ſeu mea poſteri
Sciant, Nepotes ſeu mea neſciant,
Hinc ſcito tu, neſcire Carli
Teſine vivere, Bande, quicquam.

VT te muneribus ſuis bearent,
Seſe Numina *Bande* pauperarunt:
Linguam *Mercurius* ſuam, ſuumq;
Dat *Pallas* cerebrum, ſua ora *Peitho*
Phœbus ingenium ſuum, ſuumq;
Dat *Clio* Genium, ſuas *Cupido*
Genas, at *genetrix* ſuos Amores:
Vnus *Iupiter* abfuit, ſed eheu
Quòd non ſerius abfuiſſet! ille
Suum dat tibi largiendo cœlum.
Beatiſſimus ô beatiorum
Tanto munere, verùm ego miſellus
Sum miſerrimus (heu!) miſerrimorum,
Quòd tu tàm citò munere auctus illo
Beatiſſimus es beatiorum.

Pater defunctum allequitur.

HEu iuſtas ſine iure, æquas ſine lege *ſorores*,
Stamina quę ſtabili pollice noſtra trahũt!
Quæ decuit iuvenẽq; ſeni puerũq; parenti
Ferre, ſenex juveni fert puerocq; parens.
Ergò leui cineri dabimus, tenuiq; favillæ,

Qua

Quæ iusto decuit iusta dedisse seni?
Siccine de cunctis hæres quæ à patre referret
Nil præter lachrymas iam, tumulumq; feret?
Quodq; magis cruciat præbetq; alimenta dolori,
Ingentes lachrymæ sunt, tumulusq; brevis.
At benè habet! potiora tibi patrimonia, surgunt,
Elysijs hæres instituere plagis.

FRANCISCO P. & FRANCISCO P. RVSSELIIS
Bedfordiæ Comitibus.

CLare Pater, clariq; patris clarissime Fili,
Magnus vterq; à se, maior ab altervtro:
Tu genitor numquàm meritò, *Francisce*, fuisses,
Franciscum subolem ni tibi fata darent:
Tu genitus numquàm dignè *Francisce*, fuisses
Franciscum dederant ni tibi fata patrem.
Morte patri par, Nate, modo sed dispare mortis,
Ah! nocuit paritas, disparitasq; magis.
Ferre Patris mortem poteras virtute virili,
Sed patriæ haud poteras in patre, & indè peris.

FRANCISCO WALSINGAMO
Equiti auratæ, Consiliario regio.

ET tu cœlestem Iovis accersitus in aulam,
Walsingame, tuę *Palladium* patriæ.

Nil adeò externas aulum sine teste per oras,
Vt tibi sit clausum notitiæq; tuæ.
Te magis indè domi formidat *Iberus* inermem
Quàm foris armatum classe potente *Draco*,
Indignans sua mortali secreta patere
Te te Immortalem *Iupiter* esse jubet:
Tu patriâ poteras abiens atq; orbe carere,
Te patria atq; orbis ritè carere nequit.

PHILIPPO SYDNÆO. E. *Aurato*,

DOna *Philippe tibi* viuo, lachrymasq; cadenti,
Munera dein tumulo numina quinq; dabãt,
Mars primus, *Martig*, Venus, *Venerig*, *Minerva*,
PAN illi, PANI CALLIOPEA, comes.
Mars pectus; frontemq *Venus*, cerebrûq; *Minerua*
Pan dedit *Arcadiam*, *Calliopea* modos.
Marti armis, facibus *Veneri*, ingenioq, *Minervæ*,
Par *Pan* calamis, *Calliopig*, sonis.
Martem iræ, *Venerem* lachrymæ, luctusq; *Minervã*
Panã furor tetigit *Calliopenq*, dolor.
Mars hastas, dat serta *Venus*, violasq; *Minerua*
Pan hederas tumulo, *Calliopea* rosas.
Mars equitem, natumq; *Venus*, pullumq; *Minerua*,
Pan flet pastorem, *Calliopeq*, parem.

CVr non *Elysÿs* redeunt de vallibus *Vmbræ*?
SYDNÆVS blandis Syrenibus entheat aures.

GVLIELMO MOHVNO
Equiti Illustriss.

CORNVBIA *Patria.*

QVem peperi quondam fælix patrēq; virūq;
Orba viro infælix nūc fleo, et orba patre,
Nympha metallifer is prægnās *Cornubia* venis
At grauido prægnās nympha dolore magis.
Nec mihi prestantem meritis animisq; *Mohunum*
Tam peperisse decus, quàm caruisse dolor.
Deficerent lachrymæ, si non et prodiga flenti
Sufficeret latices *Doris* amica suos.
Cur absit tumulus functo mirare? MOHVNO
Idem servatur scilicet atq; mihi.

RICHARDO GRANVILLO.
Equiti invictiss.

OMetus, atq; idem summa ad miratio *Iberum*!
O stupor *Hesperiæ* gentis, itemq; timor!
O SAMPSON metuēde, tuâ qui morte triūfas,
Pluraq;, quàm vitâ, funere damna facis!
Ipse tuæ mortis vindex & funeris ultor
Per quem *Vindicta* est vltio & ipsa sui!
Sic victus, cupit vt victor sic se quoq; vinci,
Nec, quo tunc vicit, victor abire modo.
Hoc vnum sorti superi inuidere beatæ,

Pa-

Patria GRANVILLVM vt cõtumularet humus:
At, quæ magnificum dederat tibi terra triumphum,
Hæc eadem tumulum dat tibi magnificum.

IOANNIS NORRISII *Heroïs fortissimi, Tumulus loquitur.*

QVinq; ego regnorũ labor vnicus; at mihi opel-
Iuuitè pręstant quatuor, vna lubens. (lam
Anglia, Belgia, Iberia, Gallia, Hybernia, cunctæ
Nonnihil, vt fierem, contribuere mihi.
Anglica diuitias, spes *Belgica*, *Ibera* timores
Gallica gens laudes, at suum *Iberna* scelus.
Omnia dum partum coeunt hæc semina in vnũ,
Semidei nascor NORRISII tumulus.

THOMÆ EGERTONIO *Eq. Torquato.*

IRæ Deorum, vosq; *Auernales* minæ,
Acherontiensq; liuor atq; *Orci furor*,
Vetulæq; *Noctis* filiæ infamis fames,
Gulæq: nullis exaturandæ stragibus
Quo vsq; tandem sęuietis? aut quibus
Cruoris estis expiandi victimis?
Homicida *Furia*, mortis ô Pedissequa
Libitina, quam nam cladibus pausam dabis
Malisq: nostris! Vt cateruatim ruunt,
Luctusq; nostros antevortant funera
Præstan-

Præstantiora! jamq; *Nerviſij* duo
Ratcliuiusq; cum *Carei* pectore
Preſſere nigra transtra puppis publicæ:
Adhuc ſuperstes vnus instar plurium
Superabat, ille cæterorum fecerat
Magis ferendas atq; lugendas minus
Amissiones; idq; ſentiscis ferox
Stygiæq; ſorti noſtra transcribis bona,
Solatiumq; luctus EGERTONIVM
Neparca Parca! nequid vſpiam ſuper
Solatijuè ſtaret aut leuaminis.
At ô ſupremæ mortis et vitæ Arbitræ
Famulæ Tonantis, ſi quid îngemiſcitis
Noſtriſq; tandem ſi datum ſat ſtragibus
Pro mille noxis mille pro diſpendijs
Saltem hoc leuamen vnicum rebus date,
Quos abſtuliſtis filio teroculæ,
Mites parenti dabitis et fratri dies.

IOANNI IVELLO
Dammonio:

Sariſburienſi Epiſcopo.

Proſopopeia defuncti.

NOn ego jã ſuper aſtra vehi me laudibus opto,
Dudũ animâ evexit quem ſuper aſtra Deus.

Quid

Quid nisi desplicear Diuo mihi fumus honoris
Cui numquam vivo non malè gratus erat?
Sorduerat cùm laus alio mihi semper ab ore
Iam non à proprio sordeat ore magis?
Tantum igitur de se fas dicere jure *IVELLO*,
(De quo nulla potest dicerè lingua malè)
Discite de nostrâ, vivi, benè vivere vitâ,
Et benè de nostrâ discite morte mori.

In Gemmeum nomen IVELLI.

Non ideò in precio est magnus mihi iure *Iuellus*
Quòd de Gemmarũ nomine nomen habet:
Verùm ideò in precio mihi Gemma est ipsa, quòd
Gemma *Iuellae* ex nomine nomen habet. (ipsa

EDVARDO DEERINGO *Theol.*

Annule Chare, tui quod nominis innuit omen,
Aptavit digito quem Deus ipse suo,
Accedes nostris precium, *DERINGE*, papyris,
Nec *Gemmæ* renuas *ANNVLVS* ire comes.
Parcere principibus, sic lędere, nescia lingua,
Dicta movere tamen, nata placere fuit.
Sat laudis, meritas tibi nolle adscíscere laudes,
Sat præmi, meruisse haud habuisse tamen.
Sat vitæ vixisse Deo, Patriæq;, Tuisq;,
Hà malè! quòd non his vixeris ipse satis.

10-

IOANNI FOXO. *Theol. & Martyrol.*

DEfuncto *monumenta* tibi quid Foxe paramus,
Quis potiora tibi quàm Tua Foxe paret?
Vindicijs asserta tuis gens enthea flammis
Te cinere & flammis asserit atq; rogis.
Et quot divino canis ipse volumine Testes,
Tot laudis testes atq; laboris habes.
Cùm te assertorem Divi cupiere videre
FOXE suum, terras linquis & astra petis.

LAVRENTIO VMPHREDO *Theol. Doct.*

LAurus eras, *Umfrede*, tuas Academia frondes
Iactavit meritò, serta superba, diù:
Cætera quùm viridi senium defraudet honore,
A senio vires tu capis atq; comas.
Abfuit Elysijs tantum sua Laurea lucis,
Te Deus in lucos transtulit ergò suos.

ALEXANDRO FITZGEOFRIDO *Theol.*

Patri semper colendiss. desyderatiss.

Marmor viatorem alloquitur.

NÕ desunt mihi verba, deest mihi lingua, viator,
Hanc tu si præstes vel lapis ipse loquar;

Ne mirere tamen, Pietas et pondus amoris
Muta potest vestris saxa animare sonis.
Credidit exuuias hominis mihi FITZGEOFFREIDVS
Cui dedit induuias Cælitis ipse Deus.
Nascenti dias *Bedfordia* præbuit auras,
Granta artes, vitam *Corunbia*, *Isca* necem:
Diuitiæ, cupijsse nihil; studium ætheris ardor,
Victus, sobrietas; nobilitasq; Fides.
At tu, quisquis eris, nisi me sis durior ipso,
Molliter optabis dormiat iste cinis.

HENRICO SMYTHÆO *Theol. & Poetæ.*

AD sacra tu primus duxisti pulpita *Musas*
Posthabito incesto nemore, atq; *Helicone* profano:
Te præeunte viam salix SMYTHÆE sorores
Cum *Phœbo* quoq; fratre, sacro modò fonte renatæ
Pierides *Christo* nomen titulosq; dedere.
O quantùm debet tibi concio sacra? vel à te
quantùm habuit viuo, quãtũ in te amisit, adempto?
O quo tu linguam tinxisti in Nectare! vel quis
Angelus insedit labris! ô qualis ab ore
Melleus *Euphrates*, et lactis vortice torrens
Vndauit *Gihon*, et scatebris bibulum ebriat orbem!
Digne polo Iuuenis memorãde, poloq; recepte,
Nam tellus indigna fuit sibi munere tanto
Viue meis; quanquàm ipse meis quid viuere cures,
Æternùm victure tuis SMYTHÆE papyris.

GVLIELMO WHITAKERO *Theol. Doctor*.

NYmfa diù ſcopulis durâ religata cathenâ
Nullam in deſerto littore ſenſit opem,
Nuda ſinus, ferroq; manus attrita tenaci,
Fletibus ora, pedes cõpede, corda metu;
Expoſita (heu!) monſtris *Eccleſia* mæſta marinis,
Crimina quò lueret non ſua, morte ſuâ;
Tu deploratæ tandem miſerate puellæ
Accedis *Perſeũs* ô *Whitakere* nouus.
Balenaſq; truces contundis, et horrida cæte,
Exſoluens vinclis membra, timore ſinus:
Iamq; triumphatâ *Latiali Gorgone* tandem
Sydereos auges, victor opime, choros.

RICHARDO GRENHAMO *Theologo*.

TE viuum voluit *Grenhame* latere, neq; antè
Oſtendi terris, quam raperere, Deus,
Viuenti ingratus lucem tibi denegat orbis,
Nunc luce extincti fulgurat ecce tuâ.
(Haud ſecus obfuſcant piceâ ferrugine Phœbum
Inuida per longos nubila ſæpè dies,
Ille tamen terris radiorum prodigus aurum
Explicat, Heſperias jam ſubiturus aquas:)
Vixiſti antè Deo *Grenhame*, at mortuus orbi,
Nunc orbi viuis, mortuus, atq; Deo.

Di-

Dilectissimo consanguineo meo
RENALDO BELLOTTO *Theol.*

ITe oculi in lachrymas, ito in suspiria pectus,
Ito cor in gemitus, cordoliumq; jecur,
Quandoquidē (heu) tenues ivit *Bellottus* in auras
Et tanti supereſt nomen inane viri.
Flos generis gentisq; jubar, solatia vitæ,
Occiduæq; mihi spes cecidere domus:
Sed privata queror, quid enim dispendia tangam
Publica, vulneribus vulnera juncta meis?
Patria parce mihi, cui non fera parca pepercit
Sat mihi sat priuis *ingemuisse* malis:
Quæ quia juncta tuis, quam plaga reciproca læsit,
Te mea damna decet, me tua damna queri.
Neutra tamen lugenda nimis, pia Patria, quando
Illius nostris sunt bona juncta malis.
Nam tibi BELLOTTVS vixit Patria, antè, mihiq;
Nunc sibi fas viuat scilicet atq; Deo.

M. NELDERO *Theologo.*

HEu lachrymas! Iterum in nostros dolor incipit atrox
Se illatebrare sinus? Iterum seges altera questus
Luxuriat, mæstiq; nouum maris æquor arādum est.
Ecquis Agenoreo de semine profatus exul
Vipereos nostris, fatalia semina, dentes
Sparsit agris, luctus dira incrementa futuri,

Vndè

Vndè armatorum ſeges ingruit alta malorum?
O quæ funereâ de pixide laxat in orbem
Funeſtas Pandora faces? patefacta recludens
Tartara, quot Furias, ô quot manumittit Erynneis!
Præcipuè morbos, ſacrum genus, & quibus impar
Nequicquam imbelleis Podalirius obijcit arteis!
Hinc tot funereæ cædes lachrymæq; per vrbem
Graſſantur, peſteſq; Erebi glomerantur in vnum
Innumeræ, incerto dùm pendent omnia filo:
Hinc longùm ſupereſſe ſenes pueroſq; videmus
Præreptos citiùs fatis, ætaſq; laborans
Defluvio capitis viuit, moriturq; comatus.
Vix ego *RISDENI* crudelia funera flere
Deſieram, extinctos lachrymiſq; querebar amores,
Ecce pium cantanda mihi nova funera funus
Excipiunt; quem das finem *Libitina* dolorum!
Tuq, cerebrigenæ ſacris operate *Minervæ*
O *Neldere* cadis (ſi ſit cecidiſſe vocandum
Ad ſuperas ferri ſedes cœloq; potiri)
Flos Clarius, Phœbi pullus, Suadæq; medulla.
Et cuius tenebroſa priùs quam nubila fati
Aureolum involuunt Lætheâ nocte nitorem.
Emicuit virtus velut *Erigoneius* ardor
Circumigonſq; *Helicæ* roſeas, *Arctos* quadrigas.
Et cuius ſicco quiſquis videt ore pheretrum
Et duro riguiſſe oculos adamante putarem
Cotibus & duris cerebri mutaſſe fluorem.
Certè ego qui ſolus videar ſupereſſe meorum

Funeribus tantis, vt vitam in funere ducam
(Dùm male-fida in me levis inclementia sortis
Conglomerat miseræ sexcenta incommoda vitæ,)
Humidulis oculis video pereoq; videndo.
Verbaq; plura velim charo dare mœstus amico
Sed dolor(heu!)iugulat vocẽ,perimitq; camenã.

Generosissimæ Dominæ MARIÆ MOHVNÆ RENALDI MOHVNI Equit. Aurat. Coniugi, HENRICI KILGRÆI Equit. Aurat. Filiæ.

Nunc ego ne-parcas tandẽ, nunc sentio Parcas,
Parcere cùm nollẽt bella *MOHVNA* tibi;
Non ego nolle tamen,sed non potuisse putarem
Parcere;lex solido scripta adamante vetat.
Flectere si quicquam, poteras tu flectere mortem,
Parcere si poterat,parceret illa tibi.
Quòd si nobilitas & priscum stemma valeret,
KILGREIÆ poterat stemma valere domus.
Si forma aut species; poterat mors frigida ocellis
(Frigida quantumvis)incaluisse tuis.
Si pietas,si dia fides,si deniq; virtus,
Quis virtute fide, quis pietate prior?
Singula non poterant,poterant tamẽ omnia forsan;
Omnia erant vni,non potuere tamen.

FRANCISCO de BRINA *Italo Medicinæ Doctori.*

Ter-

Terrea pars *Brinæ* corpus, pars cælica *Brinæ*
Spiritus, illa solo cessit, at ista polo.
Italia quem peperit, populit tamen *Italia* tellus
Angliæ suscipiens fouit, & *Isca* tegit:
Non alius morbis adhibere peritior artes,
Promptior aut miseris consuluisse fuit.
Nunc, patrijs profugum laribus pietatis amore,
Ætherei excipiunt, patria vera, lares.
In dubio est, talem nè *Italis* insignius esset
Vel peperisse decus vel populisse nefas.

IANO DOVZÆ *Filio*,
Iuveni incomparabili.

Aut Phœbi, aut (magna est nam controversia) (*Douzæ*
Progenies, idem ni fit vterq; Deus:
Belgice (quid maius dicam?) SYDNÆE; vel Illi,
Vel tibi, vel nulli, vel sociande Patri:
Viue, amor; atq; idem docti dolor Orbis, adempte;
Delitiæ rerum tristitiæq; simul:
Quo, quidnam maius potuit dare *Iupiter* orbi,
Orbi immortalem te nisi, *DOVZA* daret.
Miraclum est nostro talem vixisse sub ævo,
Maius miraclum est sed potuisse mori.

EDMONDO SPENCERO:

Dum tumet inq; suo nimis *Anglia* vate superbit

Atq; omnes mundi provocat vna sinus,
Et tu *Tasse* taces nec tu *Bartasse* triumphas
Vlteriùs, cæpit teq; *Arioste* pudor,
Non tantum invidiam populis movet omnibus au-
Sed cœlum invasit livor, agitq; Deos: (dax
Spenserumq, tibi Superi rapuere poetam,
Anglia, cùm vatem non habuere parem.
Quantus erat, pro quo non tantum regna, sed ipsos
Rivales meruit patria habere Deos?

In eiusdem Tumulum
Chaucero vicinum Westmonast.

Spenserus cubat hìc, *Chaucero* ætate priori
Inferior, tumulo proximus, arte prior.

RICHARDO TARLTONO.

COnspicienda amplo quoties daret ora Theatro
Tarltonus lepidum non sine dente caput,
Spectantũ horrifico cœlũ intonat omne cachinno
Audijt & plausus aula suprema Jovis.
Attoniti stupuere Poli stupuere polorum
Indigenæ indigites cœlicolûmq; cohors.
Hausuri ergò tuos omnes *TARLTONE* lepores
Elysiâ in terras valle redire parant.
Id metuens, ne fors desertâ IVPITER aulâ
Bellerophonteos transigat vsq; dies,

Hu-

Ha! crudele tibi ſcelus imperat *Atropos*, et tu
TARLTONVM ad *Plures* inſidioſa rapis.
Quòd niſi tu peteres ſuperos *Tarltone*, petiſſent
Te ſuperi, ad blandos conflua turba jocos.

THOMAE NASHO.

QVùm *Mors* edictum *Iouis* imperiale ſecuta,
Vitales *Naſhi* extingueret atra faces;
Armatam juueni linguam calamumq; tremendum
(Fulmina bina) priùs inſidioſa rapit,
Mox illum aggreditur nudum atq; inuadit inermẽ
Atq; ita de victo vate trophæa refert.
Cui ſi vel calamus præſtò vel lingua fuiſſet,
Ipſa quidem metuit mors truculenta mori.

NICHOLAO TREFVSIO.

FAElices Vmbræ, voſq; ô noua numina Manes
Quos Dij municipes jam ſtatuere ſuos
Tuq; *Geni* nuper noſtri tutela TREFVSI
Nunc coniuia Iouis Patriciuſq; poli,
Lenis ades præſenſq; pijs allabere ſacris,
Pauperis et Muſæ tenuia liba cape:
Tenua liba quidem, nec non paupercula Muſa,
Quod potuit fecit, quod voluit nequijt.

IOANNI CASAEO *Medicinæ Doct. Philosopho principi.*

OMnes CASAEVM comprobarunt *calculi*
Linguam *Minervæ* comprobauit *calculus*
Apollo libris *calculum* addidit suum
Artiq; *calculum* *AEsculapius* suum
Vitamq; *Virtus calculo* sanxit suo,
Suoq; mores *calculo* sanxit *fides*.
At ô nefandum factu et auditu scelus!
Quippè vniversis candidatum *calculis*
Mors vna diro denigrauit *calculo*.

ARTHVRO HELO.

NAte patris spes prima tui, solatia matris
Prima tuæ, summus nunc vtriusq; dolor:
Ille tibi nato vitam dedit, illaq; lucem
Insuper et claræ stirpis vterq; decus:
Ille tibi mores viuo dedit, illa pudorem,
Et lachymas cineri mæstus vterq; tuo:
Omnia quæ poterant postquã illeq; et illa dedisset
Ipse Deus cæli regna habitanda dedit.

Tumulus loquitur.

QVem nollẽ tenuisse tego, quẽ amittere mallẽ
Heu! teneo; vellem quo caruisse, fruor.

Qui

Qui cupio siluisse, loquor; silet ille, loquentem
Quē cupio; premo quē me premere ipse velim.
Arthuri tumulus dicor (quàm pænitet!) *Heli*
(Quàm dolet hoc misero laudis honore frui!)
Vis patrem matremq; ? pius generosus vterq;
Vis patriam? hæc, illi terra *Deuona* fuit.
Vis vitam et mortem? breuiter tribus accipe verbis;
Vita fuit Musis dedita, morsq; Deo.

Tr. GEOFRIDO.

F*Itzgeofridus* eram dùm tu *Geofride* superstes
Parsq; mei fuerat nomina clausa tuo.
Te mihi surripiunt, fatalia Numina, Parcæ
Dimidiumq; mei surripuere mihi.

In Tumulum Auari Anonymi

QVi jacet hic, viuus celari nomina jussit,
Vt si quis vellet hæc quoq; scire, daret.

In Tumulum Viuentis.

QVàm speciosa domus! satis et spaciosa: dolēdū
Tā lautos Dominū nō habitare lares. (est

Scauola clamosiss. Causidici.

QVòd jacet hic, *Rhadamanthe* tua ad subsellia raptus,
Non miror, miror *Scaeola* quòd tacet hic.

RICHARDO LATVARO
Theol. Doctri. & Poeta.

FInierat, Mortæq; datum satis ecce putarat,
Feralem exuerat lassa Camena peplum:
Tempora lugubrem, fatalia serta, cupressum
Iam propè depressis deposuere comis:
Nuncia fama tulit *Latuari* funus, &, heu
Tantum suspirans, concidit exanimis:
Astabat Phœbus, manibus verbisq; sororem
Subleuat, ipse etiam vix modò stare potens.
Aonios ambo mœsti petiere recessus
Condentes tenebris tristitiaq; caput.
Morte tuà indè silent Musæ LATVARE dolentes,
Quo in viuo solitæ sæpe fuere loqui.

VLtima cunctarum libri vox vltima rerum,
Sola Deo Diuâmq; animis incognita,

FINIS.



[illegible] page 137
Bancroft J. . . . 92
Band . . . 179
Barkham J. . . . 130
Bellott R. 113. . . 190
Beza . . . 157
Bilson Bp. . . . 110
Blennam St. 100. 101.
Camden Bodley. . 120 154
Campian . 26. . . 56
Carey R. . . 122. . 129.
Carpenter R. . 83. 155.
Casaus J. . . . 196. .
Chapman G. . . . 88.
Collin 138
Cotton H. . . . 110
Cranmer 109
Daniel 57
Debell . . . 136
Deering 186
Dowza . . 159 . . 193
Drake S. F. . . 117
Drayton . . . 57
Egerton . . . 184
Elisabeth. 50 . . 117
Fitzgeoffry . . . 187
Fox 187
Gentiles . . . 159
Geofrey. . 135 . . 197
Granville Sr. R. . 183
Grenham . . . 189
Harrington . . 120
Harvey . . . 115
Hall 58
Hele A. . . . 196
Holborn A. . . . 78
Horsey R. . . . 119
Humphry L. . . 187
Hyde J. . . . . 113. .
Johnson B. . . . . 60. .
Juell J. 185
Latwar R. Lay 135. 198. .
Mainwaring . . 124.
Maret . . . . 63.
Marston . . . . 88.
Mathew T. . . . 109.
Melissus . . . 160. . .
Meres . . . 62. . .
Michaelbourn 5. 30. 32
49. 56. 84. 92. 104. 105.
154. 169. 176. . . . .
Mohun 118. 128. 183. 192.
Montjoy . . . 108. . .
More . . 91. . 169. .
Moyle . . . 123. . . .
Muller. . 164. . 165. . .
Nash . . . 195. . . .
Nelder . . . 190. . . .
Norris . . . . 184. .
Overbury . . 25. .
Pembroke . . 107.
Percy . . 50. . . .
Philips . . 63. . .
Pim . . . 131. . .
Popham . . . 118. .
Raleigh . . 25. . .
Ranzow 158. .
Renald . . . 111. .
Rice 83. . 133. . .
Robinson . . 101. .
Rouse 59. 121. 125
Russell . . . 181. .

Scaliger .. 158. 161.
Secundus. . 162. .
Shoard . . . 103.
Smyth . . 188. .
Spencer Ed. 55. 193.
Spry . . . 89
Storer . . . 62. .
Summaster . 173.
Sutcliff . . 112. .
Sydney Sr. 55. 182
Sylvester . . 61. . .
Tarlton . . . 194
Taubman. 161. . .
Thorn . . . 115.
Toker. . . 112. .
Traverse . . 133.
Trefusis . . . 195
Trelawney . 119
Tripp . . 102. .
Vaughan . . 85
Vere 104. 132. 155.
Vernon 103. . .
Walsingham. 181
Whitaker . . 189
Whitgift . 109.
Willoughby 134.